




M. ANTONII BRAGADENI, IOANNIS PAVLLI Filij, Patritij Veneti,

DE ARTE ORATORIA Libri Quinque.

Quibus omnes fere Rhetoricæ quæſtiones continentur, eiuſdemque artis vis atque natura exprimitur.

Quæ omnia Venetijs publice diſceptanda proponuntur.

AD ILLVSTRISS. ANTONIVM BRAGADENVM.

D. Marci Procuratorem digniſsimum.



VENETIIS, CIϽ IϽ XC.

Apud Nicolaum Morettum.





ILLVSTRISSIMO

ANTONIO BRAGADENO.

D. Marci Procuratori dignissimo



M. ANTONIVS BRAGADENVS S. D.



VM primum, Illustrissime Procurator, singulare illud rationis atq; sermonis beneficiũ ab æterno ac immortali DEO hominũ generi, præter ceteras animãtes concessum mihi per ætatem cognoscere licuit; nihil mihi antiquius fuit, quam pro uiribus eniti, ut diuinum hoc munus excoluisse potius, & amplificasse, quam uel contempsisse, uel diminuisse uiderer. Idq; ut efficerem, illud me uel maxime mouit, quod eiusdẽ munificentissimi DEI beneficio, ea mihi patria contigerit, in qua, ad sustinendas boni Patritij partes, rationis atq; sermonis uis plurimũ ualeret; qua qui destitueretur, inutilis sibi, suis, & patriæ ciuis fieret; cui alteri tamquam parenti altricique nos totos dedere, nostraq; omnia quasi cõsecrare debemus. Quare, eam potissimum ab ineunte usq; ætate mihi facultatem omni animi studio comparandam existimaui, quæ præstã-

 tissimum

tissimum DEI munus tueretur, ac exornaret, & quæ una ad Ciuitates conseruandas, bonisque cumulandas omnibus vim afferret maximam. Hæc vero, Illustrissime Vir, sine ulla controuersia ea est, quæ grauissimo nomine Eloquentia nuncupatur; quæ ad hominis commune nomen cum dignitate retinendum, ea duo in nobis diuina munera excolit, ornamentis amplificat, & deniq; perfectionem absolutionemq; consummat. Quamuis enim rationis tanta sit vis, vt nihil ea diuinius, aut admirabilius excogitari possit, cum per eam homo innumera rerum genera omnino disiuncta comprehendat, comprehensa miro ordine digerat, componat, ac diuidat, & ratiocinado comprobet atq; refellat; præterita recordetur, intueatur instantia, consequentia cernat, rebusq; præsentibus futuras annectat: tamen hæc omnia penitus abdita atque retrusa in animis nostris in obscuro occultoque delitescunt: quæ, nisi oratione fuerint illustrata ac patefacta, tantum splendoris habent ac utilitatis, quantum in silice abstrusus ignis; qui, nisi ferri excitetur attritu, nullum unquam potest mortalibus lumen præbere. Quare, cum eloquentiæ singulari beneficio, lumen & orationis splendor accesserit, ac tenebras omnes fugauerit animo, tum demum illa vis ingenij mirabilis enitescit, ac ea tam uaria, quæ latebant inclusa in pectoribus nostris, eius luce illuminata clare cernũtur. Iis, Procurator Amplissime, duobus muneribus in sublimi hac hominis dignitate & ceterarum rerum imperio, diuino beneficio collocati sumus: quibus neglectis, quid inter mutas belluas & homines intersit, nihil prorsus apparet. Hinc, tanquam a perenni fonte, tot scientiæ & ar-

tes ad

tes ad rationem informandam, ac perficiendam profluxerunt: hinc eloquentia quoq; ad exornandam orationem, & exprimendam rationis vim, ortum & genus suum deduxit: hinc nobilitatem, hinc cum ratione tam firmam & admirabilem coniunctionem, ut diuelli una ab altera, nec facile, nec sine exitiali quasi corporis animiq; dissidio possit, est enim oratio latentis imago quædam rationis & interpres: & sicuti ratio lux quædam est lumenq; uitæ, ita oratio composita & ornata, rationis est decus, & ornamentum: cum per eam non solum corporis affectiones imperfectis quibusdam sonis, ut bruta faciunt animalia exprimere, uerum etiam omnes animi sensus, & cogitata distincte explicare, & ad aliorum aures copiose nobis deferre liceat: vbi vero fuerit excepta, eo usq; suã insignem, & admirabilem speciem imprimat, ut aliorum mentes incredibiliter afficiat, & commoueat, & quoquo velit impellat. Quo fit, ut quantum homines ratione simpliciq; sermone bestijs maxime præstant, tantum ornata et ad omnem motum apta oratione longe ceteros homines, nulla dicendi facultate præditos antecellant; vt enim hominis decus est ingenium, sic ingenij ipsius lumen & ornamentum est eloquentia. Nisi enim rationis speciem admirabilem animo intus latentem orationis splendor illustret atq; declaret, quis non eos muta quædam hominum simulacra potius, aut pueros semper infantes, quam homines nuncupet? Quare, si orationis aptæ ac perpolitæ tanta est præstantia atq; necessitas, vt intelligatur quare homines bestijs præstant, ea in re disertos hominibus ipsis excellere, non potest non summa esse doctrinæ bene dicendi,

quam eloquentiam appellamus, dignitas, vis, ac necessitudo; cum eius vis omnis in orationis poliendæ conformandæq; doctrina versetur, & eam, quo aptior sit ad persuadendum lectissimis verbis, grauibusq; sententijs locupletet. Quantum autem utilitatis, Illustrissime Procurator cum in omni uitæ studiorumq; genere, tum publicis rebus afferat eloquentia, non facile dixerim: ea certe præcipua ceteras antecellit utilitates, quod in omni bene instituta Rep. eloquentia est quam maxime necessaria, qua si destituantur, qui velut in Reip. puppi sedentes clauum tenent, hi, si non omnino inutiles sint, pluribus tamen muneris sui partibus deficiant, sit necesse. Etenim, cum Rerump. felicitas in tranquillo pacatoq; statu posita sit, ad eumque diutissime retinendum leges, decretaq; statuãtur, iure, et æquitate Ciuitates gubernentur, consultationibus regantur, arma deniq; pacis, vel conseruandæ, uel recuperandæ studio capiantur, perspicuum est in Senatore non quamdam inanem ac puerilem dicacitatem, sed ueram atque germanam eloquentiam summa cum sapientia coniunctam desiderari. Qui enim fieri potest, ut qui Remp. administrat, præterita teneat, cernat instantia, futura coniectet, & extrema cum primis conferendo omnium rerum cursum, & euentorum consequentiam prospiciat, ciuilia iura describat, quid quantumque cuique tribuendum sit, intelligat, nisi omnem optimarum artiũ cognitionem, quibus hæc omnia continentur, fuerit antea consecutus? Hæc uero penitus abdita in pectoribus nostris, quid prodesse possunt Ciuitatibus, nisi ad ea insignis eloquentia cum eius moderatrice prudentia accesserit? Recte sane

illud

illud ab eloquentiæ parente proditum est monumentis, Sapientiam sine eloquentia parum prodesse Ciuitatibus, eloquẽtiam vero sine sapientia nimium obesse plerunque, prodesse nunquam. Quare, si quis omissis rectissimis atque honestissimis studijs rationis & officij, omnem operam in exercitatione dicendi, & in ea stultitiæ loquacis fucata specie, multis verborum pigmentis oblita, rerum ponderibus, succo suo, & sanguine diffuso colore destituta consumit, is inutilis sibi & patriæ ciuis alitur: qui pariter cupiditate sapientiæ inflammatus penitus rerum indagationi sese tradit, & in una Philosophia, quasi tabernaculum uitæ suæ collocat, nec quicquam de uerborum ornatu, ordine, & modo curat, nihil de orationis luminibus & conformationibus laborat, omne denique quadrandæ expoliendæque orationis artificium contemnit: potest is quidem plurima abstrusa atque recondita sibi vni sapere, sed vt inculto, spinoso, & exili dicendi genere infuscata, locum apud elegantiorum hominum cœtus, vulgaremque intelligentiam nullum habere, perpaululumq; adiumenti Ciuitatibus adferre possunt. Sunt enim ea philosophiæ decreta, quæ in angulis consumendi otij caussa disseruntur, pleraq; inculta, et horrida, & a communi hominum intelligentia valde disiuncta, quæ nisi ornata, & copiosa splendeant oratione, & explanatius, ac uberius ad communem hominum sensum accommodate dicantur, nec politiæ persuaderi, nec in conuentus humaniores ullo modo probari possunt. Qui uero ita se armat eloquentia, vt rerum inuestigationem præclarissimarumq; artium studia, quæ reconditis

fere

fere atq; abditis e fontibus hauriuntur, cum dicendi ratione in medio posita coniungat, omnibusq; de rebus possit varie, copiose, sapienter, et populariter dicere, is uir et suis, & publicis rationibus utilissimus, salutarisq; Ciuis fore uidetur. Hinc enim exoritur speciosa illa verbis, ad mirabilis rebus, & suis omnibus numeris absoluta eloquentia, quam Cicero grauissimo nomine copiose loquentem sapientiam nuncupauit. Hæc illa est Illustrissime Procurator, quæ in omni libero populo, maximeq; in pacatis, tranquillisque Ciuitatibus semper floruit, semperq; dominata est: hæc sæpe Vrbem hostium obsidione septam atque oppressam liberauit, in pristinamque libertatem restituit: hæc labentes iam ac deficientes exercitus sæpe reuocauit: hæc sæpius insperatam de hostibus uictoriam reportauit: hæc pacis est comes, otijque socia, & iam bene cõstitutæ Ciuitatis alumna conseruatrixque. Summi itaq; Oratoris est recta optimaque Rerump. administratio, legum & æquitatis institutio, ac de maximis rebus cum dignitate explicata sententia: Eiusdem & languentis populi incitatio, & effrænati moderatio. Quis enim hominum mentes tractare ac impellere potest Oratore uehemẽtius? quis nefarios impetus, perditaque consilia inimicorum inita in Remp. reprimere asperius? quis Ciuium inter se dissidia componere, Ius dicere, æquitatem integram ab iniustissimis hominibus acrius retinere accusando? Verba vero publice facere, & apud Reges, totiusq; terrarum Orbis Imperatores cum laude, & Reip. ornamento legatione fungi, quis neget nisi eloquentissimi Oratoris nullius alterius esse munus? Ac ne plura consecter, quæ

sunt

ſunt pene innumerabilia, hoc vnum de tota dicendi facul tate extremo loco dicam, Perfecti Oratoris moderatione & ſapientia non ſolum ipſius dignitatem, ſed & priuatorum complurium, & vniuerſæ Reip. ſalutem maxime contineri. Quapropter, Illuſtriſſ. Proc. cum illis diuinis muneribus a benigniſſimo DEO me donatum animaduerterem, vnamque eloquentiam ea retinere, ac exornare intelligerem, ad Oratoriam artem dicendique rationem mentem, cogitationem, omneque ſtudium appuli, ſuperiorique anno proximo Præſtantiſſimo Doct. Ludouico Carboni operam dedi, quem mihi præceptorem contigiſſe poſſe uideor gloriari: cum ob eximiam artis Rhetoricæ, Philoſophiæ, & rerum præclariſſimarum cognitionem, diuinarumque literarum inſignem, præſtantemque doctrinam; tum, quod magis eſt, ob ſingularem vitæ ac morum integritatem: cuius deinde beneficio veteribus probatiſſimiſque dicendi Magiſtris ſtudium meum dicaui; iiſque cum ſtuduiſſem diligenter, eorumque ſcripta lectitaſſem, quæ de natura Rhetorices, cauſſis, & partibus copioſe tradita ſunt, ipſe preſſius, ac ea potiſſimum artificij dicendi capita auctorum diſceptationibus tractata, in quibus non inficior, mediocriter me fuiſſe verſatum, ex Ariſtotele, Cicerone, & Quinctiliano præcipue deprompſi: quædam etiam de orationis Ideis tenebris iam diu temporis obruta, a pauciſque ob difficultatem, uel patefacta, vel illuſtrata, ex Hermogene antiquo Rhetore ac præſtanti Philoſopho excerpſi: nec modo uniuerſam fere doctrinam ex iiſdem collegi, ſed iiſdem pene verbis

expreſſi,

expressi, ut eã & sub nominis tui celebritate in lucem ederem, & publice Venetijs examinanda proponerem. Neq; admirari quemquam velim, cur hæc oratoria, in faciem perspicua præcepta, ab omnique disceptatione aliena, in dubium a me reuocentur; cũ quæ in Rhetorica tractantur maximas habeant difficultates, ut ij optime norunt, qui bonorum Rhetorum scripta viderunt. Tibi uero, Illustrissime Procurator, hos meorum studiorum labores & ingenij fructus duxi nuncupandos, quod idonea mihi hæc primum atque opportuna sese offerrat occasio declarandi mirificam animi erga te mei propensionem, singularemque obseruantiam, quam tibi iam diu patefacere miro tenebar desiderio. Tua siquidem singularis humanitas, quæ te omnibus amabilem reddit, ac admirabilis tua uirtus, quæ suo splendore ac pulchritudine homines allicere ad diligendum, animosque conciliare solet, sic me tacito quodam studio ad te amandum obseruandumque excitauit, ut summo officio, summaque obseruantia me tibi in perpetuum deuinxerit. Has postea, Prudentissime Senator, Rhetoricæ artis lucubrationes nemini deferẽdas existimabã, nisi ei, qui Reip. gubernacula sustinens, quantum publicis rebus emolumenti afferret eloquentia, optime intelligeret: idque cũ in alijs, tum in se ipso in consilio dando de maximis rebus, proferendaque cum dignitate sententia experiretur. Accipe igitur libẽti animo hoc quicquid est muneris, meque totum tua humanitate singulari tuendũ suscipe: quod si abs te impetraro, ac munusculum istud tibi gratum atque iucundum accidisse intellexero, magno me primum

mum

mum abs te beneficio ornatum fuisse arbitrabor, mihi deinde maiora aggredienti animum addes, & ad ceterarum artium cursum incitato calcaria & stimulos admouebis; efficies denique vt, te auctore, inchoata perficiam. Vale, Illustrissime Procurator: DEVS clementissimus te diutissime saluum & incolumem seruet, actionesque tuas omnes cogitationesque fortunet.

Ex Aedibus nostris. Idibus Aprilis CIↃ IↃ XC.



AD MARCVM ANTONIVM BRAGADENVM,

OPTIMAE SPEI ADOLESCENTEM

Mutij Sfortiæ Epigramma.

RHETORICEN, velut auricomã, plantãq; superbã
Conspicuo in campo pangis ut Agricola.
Illius & pulcros flores, fructusq; perennes
Quinque velut ramis, quinque libris aperis.
Hærentes ita, ut excutere hos velut Eurus, & Auster,
Contradicentum quæstio nulla queat.
Si tantum puer affectas, quæ flumina fundes,
Seria cum iam vir, iamq; Senator ages?
Nobilis exemplo hoc Venetum, BRAGADENE, iuuentus
Artibus insudet nocte, dieq; bonis.

AD EVNDEM

GRATIAE MARIAE GRATII

Extenuati Philomathi Epigramma.

NON ita Cecropium morsu, dum uernat, Hymettum,
Irinacriamue Hyblam depopulatur apis;
Quo dulcem vario sugens de flore liquorem
Congerat in flauis rosida mella fauis:
Vt passim Eloquij veteres, BRAGADENE, Magistros
Ingenio, & mira sedulus arte legis;
Vitalemq; hauris succum, vnde aurea fandi
Copia, & vbertim flumina mellis eant.
Quantum omnes sperare iubes? Tua prima iuuentus
Fert, quæ paucorum ferre senecta queat.



M. ANTONII BRAGADENI
PATRITII VENETI,
DE ARTE ORATORIA
Liber Primus:

De Rhetoricæ natura, caussis, & partibus.

Quid sit Rhetorica, quæ eius forma, atque materia. Cap. I.





HETORICA est facultas videndi quid in vnaquaq; re idoneũ sit ad persuadendum. Non enim virtutis vim atq; naturam proprie continet: cum virtus sit animi constans affectio, conueniensq; simpliciter bonos eos efficiens in quibus est, & ipsa per se sua sponte laudabilis: ex qua oriũtur honestæ voluntates sententiæ & actiones omnisq; recta ratio: Multa vero proferri posint detrimẽta publicis rebus per eloquentissimos, ac improbos homines importata. Ipsa enim ad bene dicendum præcepta quæ dantur, eiusmodi sunt, vt ea vitiosissimus quoq; Orator tenere,

Arist. libr. 1. Rhet. ca. 4.

Cic. Tus. 4

Cic. lib. 1. de orat. pagi. 138. b.

Libr. 3. de orat. pagi. 238.

& vim eorum in contrariam partem conuertere perniciose posit; quod à virtutis natura valde alienum est.

Sed si quis volet (omnes autem velle debent) recta animi moderatione vti facultate dicendi, vt sibi, suis, patriæ, Christianæq; reipublicæ vtilis sit; debet esse vir bonus, ac virtutibus cunctis instructus. Quare, quo maior est eloquentiæ vis, eo magis est probitate iungenda, summaq; prudentia: quarum virtutum expertibus, si dicendi copiam tradiderimus, non eos quidem vtiles oratores effecerimus, sed furentibus potius arma dederimus.

Libr. 3. de orat. pagi. 231.

Abest etiam plurimum eloquentia ab eo naturæ lumine, inditaq; & innata mentibus nostris omnium scientiarum, artiumq; notione; qua semina, & principia, atque rerum omnium fundamenta nobis sunt à natura tributa.

Lib. 1. offi.

Insuper ea quoq; maximè discrepat à sapientiæ natura, quæ est humanarum, diuinarumq; rerum cognitio quamuis plenus ac perfectus Orator idem sapiens sit. Magisq; ab eo distinguitur scientiæ genere, quod certa, euidentiq; rei necessariæ, & caussarum, quibus ea conficitur cognitione continetur: Est enim omnis Oratoris actio ad vulgarem sensum, popularemq; persuasionem accommodanda. Quare, imperitæ multitudini non est exquisita scientia tradenda, sed exigui temporis, aut certe obscura opinio.

Libr. 1. de orat. Aristot. 1. Rhet. cap. 13. Arist. lib. 1. Post. ca. 2. Libr. 1. de orat. pagi. 147. b.

Ac denique vis ipsa dicendi longissimo disiungitur interuallo à prudentia, quæ actionis est habitus, qui vera cum ratione bonorum atque malorum hominis delectum habet, estque veluti dux, & auriga cæterarum omnium virtutum.

Arist. li. 6. Ethic. ca. 5.

Quare hæc Oratoria dicendi facultas ab horum generum vi atque natura seiuncta in eo tandem genere posita

Plato in Phæd. li. 1. de inuent. pag. 68.

posita erit, vt ars proprie vereque dicatur.

Artem autem eloquentiæ fieri potuisse manifestum est. Etenim cum plerique temere ac nulla ratione caussas in foro dicant, nonnulli autem propter exercitationem, & consuetudinem aliquam callidius id faciant; non est dubium, quin, si quis animaduerterit, quid sit quare alij melius, quam alij dicant, id poßit notare: notatio autem naturæ atque animaduersio peperit Rhetoricæ autem: quæ modo summorum ingeniorum solertia exculta, cum multis, & certis præceptionibus interse cohe-rentibus, & ad finem humanæ vitæ vtilem consequendũ maxime necessarijs cõtineatur, & ab eum finem in quadam ornandæ ac locupletandæ orationis versetur ratione, fit, vt ea, sicuti sapienter ait Fabius, vere proprieque dicatur ars bene dicendi.

Quint. li. 2. capi. 18. Arist. libr. 1. Rhet. c. 1. Libr. 2. de orat. pagi. 174. b. In orat. pagi. 335. b.

Lib. 2. cap. 16.

Quæ quidem non in cognitione, sed in actione, & coniectura versatur. Nam quidquid præcipit eloquendi facultas, id omne dirigit ad agendum: non tamen aliquid molitur, vt post ipsam operationem aliquod relinquat opus, quod artis effectionis maxime proprium est.

Ars est quæ cognitis, penitusque perspectis, & in vnũ exitum spectantibus, & nunquam fallentibus rebus continetur. Quoniam vero Rhetorica nititur coniecturis, non semper voti sui compotem Oratorem fieri necesse est. Etenim multa præter ipsius vim eloquentiæ foris aßumpta, & incerta requiruntur præsidia, vt Orator finem consequi poßit. Quo fit, vt non ex eo certißimarum sit artium numero, quæ certis, & nunquam fallentibus rebus innixæ suos semper assequuntur fines, sed ex ijs, quas græci στοχαστικὰς nos incertas coniecturalesque nominamus.

Libr. 1. de orat. pagi. 145. b.

Rhetoricam autem facultatem esse, vel ex eo perspicuum est, quod ea sola sicuti, & Dialectica de omni re

Alexand. aphro. in proœm. lib. 1. topic. c. 2.

Arist. libr. 1. Rhet. c. 3. Libr. 2. de orat. pagi. 171. & 326. b. *quæcunque proposita sit in contrarias partes disputet; quod nullius alterius artis est munus. Nam ceteræ fere artes seipsæ per se tuentur singulæ: etenim in ijs tantum, quæ sibi subiecta sunt docendi probandique vim suam exercent: benedicere autem, quod est scienter, & perite, & ornate dicere, sicuti & ipsa disserendi ratio non habet definitam aliquam regionem, cuius terminis septa teneatur. Quapropter omnia quæcunque in hominum disceptationem cadere possunt, bene sunt ei dicenda, qui hoc se posse profitetur; aut eloquentiæ nomen relinquendum est.*

Quinct. li. 5. cap. ulti. *Differt autem Rhetorica à Dialectica, quod hæc non quid opinio multitudinis, vulgique intelligentia, sed quod* Libr. 2. de orat. pagi. 193. *res ipsa postulet, considerat, & genus sermonis affert non liquidum, non fusum ac profluens, sed exile, aridum,* In part. 369. b. *concisum, ac minutum: eiusque virtus omnis in ratione scientiaque disputandi sita est: Illa vero, quæ nihil aliud est, quam copiose loquens sapientia, in disputando vberior est atque latior, auribusque multitudinis accommo-* Libr. 2. de orat. *datior ad oblectandos auditorum animos, ad impellēdos, & ad ea probanda, quæ non aurificis statera, sed quadam populari trutina examinantur, ac ea deniq; quicquid sibi propositum sit, oratione ornata, copiosa atque perpetua vtitur ad persuadendum.*

Quoniam explicatum est quid sit Rhetorica, quo in genere posita sit, in quo ab alijs differat, & quid similitudinis ac dissimilitudinis cum Dialectica habeat: nunc speciatim videndum est quibus in rebus oratoria facultas, & ars Rhetorica, quæ differunt inter se, versentur.

Quæ eloquentię, quæ arti Rhetoricæ propriè subijciantur. Cap. II.



CVM igitur Dialectica, & eloquentia sint quasi ministræ comitesque sapientiæ, per humanarum omnium diuinarumque rerum genera dominam ipsamque reginam consequi, easdemq; in oras disputationis regionesue, quas rerum omnium domina peruagatur, differendi, & eloquendi vim deferri necesse est. In part. p. 369. b. Socr. apud Plat. in Phœd. Arist. libr. 1. Rhet. c. 4. & 5. Libr. 1. 2. & 3. de orat.

Neque enim assentiendum est ijs, qui oratoriæ facultatis materiam forensium ciuiliumq́; caussarum cancellis circumscripserunt, vel quæstionum de rebus dubijs non amplius tractatis intercluserunt certis ac definitis angustijs: quoniam interdum etiam certissimæ res ab Oratore tractantur, præsertim in laudatione, & vituperatione: quo in genere sine vllis argumentationibus ad animi motus leniter tractandos magis, quā ad fidem faciendam, aut confirmandam accommodate, res gestæ narrantur, perpetuaque rerum exornatione exponuntur, & amplificatione exaggerantur. Dyon. Halic. Cōsul. Chir. Ariston. Corn. Cel. Quinct. li. 3. ca. 5. In part. 368. b.

Verum, tametsi cunctis in rebus, quæ ornata sunt oratione, & populariter explicanda versetur Orator: frequentius tamen ciuiles quæstiones in subsellijs tractare solet: ac proinde genus hoc quæstionum præcipua, & magis eloquentiæ propria materia dici potest. Propterea quod primum hæc ars in foro fuit inuenta, postea ad res alias omnes ornate copioseque tractandas ijsdemq; orationis luminibus illustrandas, traducta fuit. Socrat. & Phœd. in pulch. Hermog. Libr. 1. de orat. pagi. 140. b. In Brut. Gor. apud Plat.

At vero Rhetoricæ ars, vt bene dicendi præcepta docet, ab ipsisq́; rebus seiungitur, ornatam orationem sibi Libr. 1. de orat. pagi. 140.

materiam



materiam iure optimo vendicat. Eius enim proprium est rationem poliendæ, conformandæque orationis eatenus tradere, quoad possit Orator orationem arte conformare, atque expolire, schematumque luminibus apte ad persuadendum illustrare. Vnde si sententias, & res amoueris ab Oratore nihil in eo amplius, quam orationis concinnitatem, elegantiam, dispositionemq; remanere perspicuum est.

Quod si ipse sit rerum omnium cognitionem consecutus Orator, diues optimorum verborum copia, artificioque dicendi peritus orationem optimis grauibusq; sententijs instructam, lectissimisque verbis conformatam efficiet: qua, quicquid susceperit explicandum auditoribus persuadebit; ac eos etiam quocunque voluerit trahet, ac flectet.

Plat. in Gorg. & Phæd. Libr. 1. de orat. pagi. 140. & 2. pagi. 196.

Qua quidem ratione hominum animos quos dicendo tractat, & quoquo vult Orator impellit, eloquentiæ materiam esse diceres. Quis enim nescit maximam vim Oratoris existere in hominum mentibus vel ad iram, aut ad odium, aut ad dolorem incitandis, vel ab hisce ijsdem perturbationibus ad lenitatem, misericordiamq; reuocandis? Et quidem id maximè proprium est Oratoris, oratio grauis, ornata, & hominum sensibus ac mentibus accommodata.

Libr. 1. de orat. pagi. 151. & 2. pa. 179. b.

Ex ijs consequitur omnem quæstionem subiectam materiam esse Oratori ad dicendum: aut sit de infinitæ rei quæstione, sine designatione personarum, & temporum, aut de re certis, in personis ac temporibus locata.

Libr. 1. de inuen. pa. 68. b.

Quæ omnia tribus generibus orationis, siue Rhetoricæ continentur.

De fine,

De fine, & officio Rhetorices. Cap. III.



Hetoricæ finis, quo vis eius referenda est vniuersa, & cuius caussa sunt facienda omnia, quæ in arte tractantur, est persuadere dictione: apte vero dicere ad persuadendum, officium est Oratoris. quod facile exequetur si ita dicet vt probet, vt delectet, vt flectat: probare necessitatis est, delectare suauitatis, flectere victoriæ. Verùm hæc omnia munera non semper in eam, quæ tractabitur materiam cadent, sed pro caussarum, partiumq; orationis dissimilitudine, & rerũ, personarumq; ratione, sunt oratoris prudentia, & moderatione varianda.

Arist. lib. 2. Physic. Cic. lib. 1. de leg. lib. 1. de inuẽ. Plat. in Phæd. li. 1. de inuent. pag. 68. Libr. 1. de orat. pagi. 151. & 2. pag. 106. b In ora. Quinct. li. 3. c. 5.

Inter officium, & finem hoc interest, quod in officio quid fieri, in fine, quid officio conueniat consideratur. Quare Oratoris officium erit id, quod præstare debet ad finem consequendum, finis vero illud cuius caussa facere debet.

Libr. 1. de inuent. pagi. 68.

Non nihil autem discriminis est inter hãc Oratoriam persuasionem imperitorum intelligentiæ motuiq; animorum accommodatam, & Dialecticam ex rerum ipsarum natura sumptam, minutis interrogatiunculis, & punctis argumentorum ieiune, & exiliter conflatam: sicuti, & alia quædam est erudita probabilium rerum disputatione occupata, alia popularis oratio, quæ in verisimilibus, persuasibilibusq́; rebus apte ad popularem opinionem gignendam versatur.

Libr. 1. de orat. pagi. 135. In part. pagi. 369. b. Arist. li. 1. Rhet. c. 3. Cic. præfa. in Parad.

De ÿs,

De ijs, quibus perficitur eloquentia. Cap. IIII.

Plat. in Phæd. in Brut. pag. 260. b. Quinct. li. 3. capi. 5. Ita Victori. præfa. in lib. 1. de in uen. Libr. 1. de orat. pagi. 148.



Vattuor sunt caussæ, quibus tanquam adiumentis perfecta eloquentia comparatur. Natura, Ars, Exercitatio, & Imitatio, quæ, etsi à nonnullis prætermittatur, quibusdam vero arti vel exercitationi recte subyci posse videatur; tamen ab vtraque separari potest.

Natura itaq; primum ad dicendum vim affert maximam, Ipsa enim animi atq; ingeny celeres quosdã motus inserit homini: qui ad excogitandum acuti, ad amplicandum ornandumq́ vberes ad memoriam firmi, atque diuturni esse debent, & alia dona corporis, quæ certe cũ ipso homine nascuntur.

Quibus naturæ muneribus qui sunt destituti, ÿ certe etiam si ingenÿs, & arte valeant: tamen in præstantiũ Oratorum numerum venire non possunt: neque enim scriptoribus artis, qui non sunt habiti Oratores, dicendi ratio & via, sed natura defuit.

Libr. 2. de orat. pagi. 221. Libr. 1. de orat. pagi. 148. De clar. orat. pagi. 272. b. Libr. 4. de Finib.

Ars conformatioq; doctrinæ in præstanti natura hanc habet vim, vt iuuet naturam ipsam, & quæ sunt orta iã in nobis, & procreata, educet, atque confirmet: quoniam, & quæ non optima aliquo modo acui tamen, & corrigi possunt. Et quidem sine doctrina, si quid bene dicitur adiuuante natura, tamen, id, quia fortuito fit, semper paratum esse non potest. Ars vero quia dux certior est, quam natura, absoluit, & perficit eam ipsam, quam magno ingenio præditi dicendi copiam, sine ratione consequuntur: Ea enim artis præceptio dat certam viam, rationemque dicendi, efficitque ne fortuito ac temere,

Ad Herẽ. 1. ca. 1.

ſed vt ordinate, ſcienter, & ornate dicamus.

Quoniam vero ſine frequenti vſu, & exercitatione cum in vita nihil quicquam egregium, tum certe eloquentiam nemo vnquam aſſequitur, ad eximiam atq; illuſtrem naturam, oratoriæq; artis præceptiones, aſsiduam exercitationem ſtudiumq; & ardorem quendam amoris accedere neceſſe eſt. Hæc enim exercitationis diligentia in apta eximiaque natura ingenium acuit, alit, & perficit: ac etiam ex tarditate incitat, omniumq; magiſtrorum præcepta ſuperat. Libr. 1. de orat. pagi. 150. b. Libr. 2. de orat. pagi. 191. & 1. pag. 135. b

Quare hæc præcipue colenda eſt nobis, hæc ſemper adhibenda eſt: nihil eſt enim, præcipue in arte dicendi, quod iſta non aſsequatur.

Verum ad perfectionem abſolutionemque bene dicendi poſtremo loco adiungenda eſt imitatio: qua augetur eloquentia, & ſine ea non ſatis proficitur. De ora. 2. pag. 183.

Sunt autem iſtæ quattuor cauſſæ conficientes eloquentiam ita interſe affectæ, vt ingenio primas concedere oporteat: conſtat enim ſæpius ad laudem orationis, ſicuti ad virtutem, naturam ſine doctrina, quam ſine natura valuiſſe doctrinam. Exercitationi ſecundas: nam inter ingenium quidem, & diligentiam, perpaululum loci reliquum eſt arti. Merito etiam artem ipſam antecedit, quod eloqueatia non ex artificio, ſed artificium ex eloquentia dicendi vſu comparata, natum eſt. Tertias vero doctrinæ atq; præceptis: quoniam imitatio nulla omnino ſine doctrina eſſe poteſt. Pro Arch. poet. De ora. 2. pagi. 191. De orat. 1 pag. 152.

Hæ igitur affectrices eloquentiæ cauſſæ, hoc ordine, ad perficiendam eloquentiam, nobis à natura modo aliquo inſitam, vim ſuam præſtiterunt: at vero nunc artificioſa exercitatio artem conformationemque doctrinæ ſubſequi debet.

Nulla tamen harum ſe ſola perfectum Oratorem fa- De ora. 2.

B cere

Socr. apud Plato. in Phæd. In orat. pa gi. 324. De ora. 1. pag. 161. b

cere potest, nisi omnes sint in eo coniunctæ, qui omnium rerum scientiam consecutus, voce, actione, & lepore quodam instructus, de vnaquaq; re proposita prudenter, composite, ornate, & copiose ad communis sensus intelligentiam, vulgique persuasionem apte, & memoriter disserere poßit.

Libr. 1. de orat.

Ex his omnibus facile colligere est, Rhetoricam seu eloquentiam facultatem eße natura, arte, & exercitatione comparatam, qua de vna quaque re proposita ornate, & copiose ad popularem persuasionem apte dicitur. Atq; hactenus de natura, & caußis eloquentiæ: nunc de eius partibus, vt ordo postulat disseramus.

DE PARTIBVS RHETORICÆ.

Quot, & quæ sint Rhetoricæ partes. Cap. V.

Libr. 1. de orat. pagi. 151. b. De orat. 2. pag. 181. b In Brut. pag. 260. b Quin. li. 3. cap. 3.



Mnis Oratoris vis atque eloquentiæ facultas in quinque partes, & quasi membra est distributa: in Inuentionem, Dispositionem, Elocutionem, Memoriam, atque Pronunciationem. Hæc enim oratio, quæ ipsius est Oratoris instrumentũ persuadendi requirit, vt mouere, docere, delectare, ac demum persuadere poßit. Et ipsa quoque natura dicenti præscribit, vt primum quid dicendum sit inueniat: deinde inuenta non solum ordine, sed etiam momento quodam, atq; iudicio dispenset: tum ea vestiat, atque ornet oratione: post memoria sepiat: ad extremum cum corporis venustate, & oris moderatione coram auditoribus agat, atq; pronunciet.

Maneat

Maneat ergo quinque has partes ita Rhetoricæ coniuñctas, & necessarias esse, vt si quæ auferatur quasi decurtata infirmetur, & mutilata claudicet, ac perfecta consistere nequeat: si quæ vero addatur, omnino superuacanea sit. In Brut. pagi. 287.

Inuentionem esse Rhetoricæ partem. Cap. VI.



Vamuis Inuentio Rhetoricæ communis cum Dialectica, & prorsus eadem esse videatur, cũ ambæ interse affinitate cõiunctæ, & tanta cognatione copulatæ sint, vt Dialectica quasi contracta, & astricta eloquentia existimetur: tamen quemadmodum instrumentis, vsu, atq; ipso potißimum fine disiunguntur, ita & Oratoris inuentio maxime est à Dialectica diuersa, atq; seiuncta. In Brut. pag. 302. b Aristot. 1. Rhe. ca. 1.

Ac potißimum hæ duæ simillimæ facultates, earumq; magistri in eo discrepant, quod non tractant eosdem omnino locos: & diuersa, ob dißimilem vtriq; propositum finem, vt ea cognata sint & proprio fini accommodata inueniunt. Etenim Dialecticus in ea tantum versatur rerum inuestigatione, quæ firmam minimeq́; dubiam poßint in animis sapientum virorũ gignere opinionem: quo fit, vt eius abstrusa inuentio magis auditorum peritiam requirat, ad docendumq; tantum, & cognoscendum referatur, cum omnis Dialecticæ vis in differendi via vsuq; rationis posita sit.

Orator vero, qui non tam ad rei naturam dicit, quam ad hominum sensus accommodate, idonea reperit ad persuadendum, & ad popularem opinionem, vulgiq; intelligentiam suam inuentionem accommodat: cum in dicendo De orat. 1. pag. 147. b In orat. pagi. 324. De ora. 1. pag. 135.

vitium vel maximum sit à vulgari genere orationis, atque à consuetudine communis sensus abhorrere.

Ille rationibus firmis, certis, & quæ facile dissolui non possint, in conuentu philosophorum vtitur ad disputandum: Hic vero probabilibus verisimilibusq; rebus, & interdum rationibus parum firmis (quoniam, non tam ad veritatem, quam ad opinionem eorum, qui audiũt accommodanda est oratio) in concione præsertim, fidem facere contendit.

De ora. 2. pag. 193. Aristo. 1. Rhet. ca. 3 In part. pagi. 371. b.

Postea vero nihil eorum inuestigandum est Dialecticæ, quæ ad laudationem, consulationem, controuersiasq; forenses adhibet Orator. Nec in eo quicquam laborat, vt ea inquirat, quæ valent apud Oratorem ad delectandum & animos impellendos.

Ac ne plura consecter, differt à dialectica rhetorica inuentio, quod ambæ diuersa ratione, à qua variæ constituuntur artes, inueniunt, explicant, & tractant: Quod enim Dialectica ieiune, exiliter, anguste, & religiose tractat, & eas res de quibus illa tenui quodam, & exiguo sermone disputat, hæc cum omni grauitate, & iucunditate, non sine animorum perturbatione explicat ornate ac copiose.

Arist. libr. 1. post.

Quare oratoria inuentio erit excogitatio rerum verarum, aut verisimilium, quæ caussam probabilem reddant. Quæ, vt facultas est quædam, non solum à natura accepta, sed etiam studio, & arte comparata inueniendi argumenta probabilia ad disputandum populariter in vtramq; partem, est propria ac necessaria penitus ipsius eloquentiæ pars. Est enim ceterarum partium solum ac fundamentum, cui innititur totius orationis structura.

Ad Herẽ. 1.

Dispositionem esse Rhetoricæ partem. Cap. VII.



Voniam non sufficit Oratori diligenter inueniße argumenta, vt fidem facere, & commode persuadere posit; nisi eadem diligentia inuenta proprijs locis accommodet, atq; dispenset: propterea adhibenda est Dispositio, qua efficitur, ne perturbate, & confuse dicamus, ac ne tumultuetur, & fluctuet oratio.

In part. pagi. 360.

Quinct. in præfa. li. 7.

Dispositio est inuentarum rerum, pro ipsarum, & auditorum, & causæ ratione, ad persuadendum idonea distributio. Nec quidem apta rebusq; singulis congruenti collocatione, plus ad vincendum pars vlla potest. Sicuti enim militum multitudo, & numerus ingens victoria non potitur, sed ordinum, & legionum ex militari scientia ad pugnam instructio: ita nec rerum inuentarum copia, nec summa hubertas, & quasi sylua perturbatis conserta sententijs, se sola, vincit: verum prudentis Oratoris rebus atque personis apta, & artificiosa dispositio, sine qua oratio, nec initio, nec fine proposito, casum potius, quam consilium sequitur: quemadmodum & turbati milites sine duce atque rectore sibiipsis sunt impedimento.

Libr. 1. de inuent. pagi. 69.

Libr. 2. de orat.

Quinct. li. 7. in præfa.

Vt autem dispositio cuicũque propositæ quæstioni apta sit, diuersus erit ordo in controuersiis, quæ nullis locis, personis, ac temporibus notatæ sunt, à definitæ quæstionis dispositione.

In part.

Quibus in omnibus caussis pertractandis, ex triplici rerum ordine, triplex etiam potest eße distribuendi ratio: vt primus naturalis ordo dicatur, alter ad arbitriũ dicentis, postremus artificiosus.

Sunt

Sunt autem permulta inter Oratoriam, & Dialecticam dispositionem discrimina. Nam Dialectica solū ad apte docendum, & confirmandum inuenta, eadem fere semper ratione, subtili quadam, & breui oratione comprehensa, disponit: Orator vero, dicenda varie illuminateque dispensat, vt orationis tractatione, non solum docere, sed etiam mouere, ac delectare possit; adhibetque in argumentando varietatem, & iucundam quandam distinctionem, figuris verborum, & ornamentis sententiarum expolitam: locuples enim & speciosa vult esse eloquentia: quorum nihil consequeretur, si conclusionibus certis, & crebris, & in vnam prope formam cadentibus, & contemptum ex humilitate, & odium ex quadam seruitute, & ex copia satietatem, & ex amplitudine fastidium pareret.

Quinct. li. 5. cap. ulti.

Varie quoque in partes distribuit orationem, & cum eius disponendæ duplex sit ratio, vna à natura, quam ipsa quodammodo natura dicēti præscribit: altera ab arte, quæ ab Oratoris prudentia atque iudicio ad tempus accommodatur; ordinem interdum naturæ, rerum & personarum varietate permutat: cuiusmodi varietas, & dissimilitudo tractandi, nunquam accidit, nec reperitur in illa Dialecticæ recta, facili, ac fere semper eadem disserendi ratione.

Ad Heren. lib. 3.

De necessitate, & natura elocutionis. Cap. VIII.



Locutio vero, vt est maxime intima, & cognata Rhetoricæ, ita maxime necessaria, & propria ipsius pars existimatur. In hac enim vna Oratorem excellere, id est oratione, cetera in eo latere indicat nomen

In Orat. pag. 316.

nomen ipsum. Non enim inuentor, aut compositor, aut actor hæc complexus est omnia: sed & græce ab eloquendo ῥήτωρ, & latine eloquens dictus est. Ceterarum enim rerum, quæ sunt in Oratore quodammodo partem aliquam sibi quisque vendicat; dicendi autem, id est eloquẽdi maxima vis, soli huic conceditur: nullaque re magis commendatur, quam verborum splendore, & copia. In Brut. pag. 287.b

In hac elucet ornatus ille admirabilis, & quidem orationis nitor, propter quem ascendit in tantum honorem eloquentia: ea, cum se latius fundit Orator, admirationes, clamoresque excitat auditorũ, tũ regit & flectit animos. Non enim oratio spinosa & exilis, quamuis lacertosa, vegeta, neruosaque sit, ita commouet animum, & ad persuadendum vim habet, vt omni iucunditate, ornatu, & concinnitate perpolita oratio, quæ facillime in aures audientium influit.

Neque tamen elocutio in solo verborum splendore atque ornatu posita est: sed est ipsa oratio varianda sententijs, & plurimarum rerum scientia distinguenda. Etenim ex rerum cognitione efflorescat, & redundet oportet oratio: quæ, nisi res subest ab Oratore percepta, & cognita, inanem quandam habet elocutionem, & pæne puerilem. Libr. 1. de orat. pagi. 136.

Quo fit, vt Elocutio sit idoneorum verborum, & sententiarum ad inuentionem accommodatio: Vel facultas, qua verborum selectu, & collocatione, sententijsque idoneis, quæ inuenta ac disposita sunt exornantur ac poliuntur. De inuen. lib. 1.

Elocutionem verò præcipuam eloquentiæ partem, qui Aristotelem prætermisisse vel parui faciẽdam existimasse contendunt, certissime allucinantur: cum eo ipso tamen auctore, nequaquam satis sit ad persuadendum tenere ea, quæ sint dicenda, sed etiam scire oporteat Lib. 3. Rheto. cap. 1.

quomodo

quomodo ea dicenda ſint, ab eoque omnes elocutionis aper ti ſint fontes, vnde omnis ad ornate dicendum exhauritur doctrina.

Memoriam arte, & exercitatione comparatam neceſſariam eſſe Rhetoricæ partem. Cap. IX.

Quinct. li. 11. capi. 2.



Tſi in omnibus ſcientijs, & artibus requiratur memoria, quoniam fruſtra do ceremur ea, quæ in ijs traduntur, ſi præterflueret ſtatim quidquid audiuiſſemus: tamen artificioſa memoria facultatis Oratoriæ merito eſt propria pars exiſtimanda. Sunt enim duæ memoriæ, vna naturalis, altera artificioſa. Naturalis eſt ea, quæ noſtris animis inſita eſt, & ſimul cum intelligentia nata. Artificioſa eſt ea, quam confirmat inſtitutio quædam, & ratio præceptionis: & huius excolendæ memoriæ præcepta tra dere Oratoriæ artis proprium eſt.

ad Heren. Libr. 3. pagi. 33.

Quare, fateor equidẽ boni huius naturã eſſe principẽ; in natura enim maior vis, quam in præceptis reperitur: ſed tamen hæc ars tota reminiſcendi ſiue artis imago, & ſimilitudo, habet hanc vim, vt non totum aliquid, cuius in ingenijs noſtris pars nulla ſit, pariat, ac procreet; verum vt ea, quæ ſunt orta iam in nobis, & procreata, educet, atq; confirmet.

Libr. 2. de orat. pagi. 221. Quinct. li. 11. capi. 2.

Neque enim tam acri memoria quiſquam eſt, vt non diſpoſitis, notatiſq; rebus, ordinem verborum, aut ſententiarum complectatur: neque vero tam hebeti, vt nihil hac conſuetudine, & exercitatione adiuuetur. Nam perſpicuum eſt, ea maxime animis effingi noſtris, quæ

eſſent

essent à sensu tradita, atque impressa, & acerrimum ex omnibus nostris sensibus esse sensum videndi: quare facillime etiam animo teneri posse intelligitur, quæ perciperentur auribus, aut cogitatione, si etiam oculorũ commendatione animis traderentur.

Memoria igitur, quæ est facultas arte, & exercitatione comparata, qua cito res comprehenduntur, firmiter retinentur, ac facile promuntur, huic arti potius, quam alteri vlli attribuatur, cum qui artem hanc eloquentiæ profitetur omnium artium cognitione præditus esse debeat, nec rerum modo, sed etiam verborum ordinem præstet, nec pauca quædam, sed infinita prope contexat, ita vt in longissimis actionibus prius audiendi patientia, quam memoriæ fides deficiat. Quinct.

Ac profecto nesciretur quanta vis esset memoriæ, quantaque diuinitas, nisi in hoc lumen orandi vim extulisset. Quare non immerito Thesaurus hic eloquentiæ rerumque omnium, & ceterarum ingenij partium custos, & quasi fundamentum memoria dicitur: quæ nisi custos inuentis, cogitatisque rebus, & verbis adhibeatur, intelligimus omnia, etiam si præclarissima fuerint, in Oratore peritura. De orat. 1. pagi. 136. In Brut. pagi. 288. In part. 359.

Pronunciationem plurimum valere in arte dicendi. Cap. X.



Ronunciatio, quæ sic à gestu, vt à voce actio nominatur, extrema est ordine eloquentiæ pars: sed prima, atque vna, quæ in dicendo dominatur. Ea est ex rerum & verborum dignitate vocis, & corporis moderatio cum venustate, qua congruenter dicimus ad persuadendum. De ora. 3. pagi. 254. Libr. 1. de inuent.

Et quidem hæc pars vim habet vel maximam ad perfectum Oratorem constituendum: siquidem in ea sola vis quædam præcipua est ad auditorem delectandum, mouendum, ac persuadendum: commodæ namque inuentiones, & concinnæ verborum elocutiones, & partium caussæ artificiosæ dispositiones, & horum omnium diligens memoria sine pronunciatione non plusquam sine his rebus pronunciatio sola valere potest.

ad Heren. libr. 3.

Sine hac summus Orator esse in numero nullo potest: mediocriter hac instructus summos sæpe superauit. Nam infantes actionis dignitate eloquentiæ sæpe fructum tulerunt: & diserti deformitate agendi multi infantes putati sunt. Vt iam non sine caussa Demostenes quid esset in toto dicendi genere summum interrogatus, huic tribuerit, & primas, & secundas, & tertias: si enim eloquentia nulla sine hac, hæc autem sine eloquentia tanta est, certe plurimum in dicendo potest.

In orat. pagi. 315. b.

Nec quicquam sane, hac vna re, plus valet ad hominum animos impellendos. Etenim nulla res magis penetrat in animos, eosque fingit, format, flectit, talesque Oratores videri facit, quales ipsi videri volunt: contra vero affectus omnes languescant necesse est, nisi voce, vultu, totiusque prope habitu corporis excitentur.

In Brut. pag. 276. b

Quinct.

Itaque, non iniuria, actio post elocutionem, præcipuum locum sibi vendicat in Oratore: est enim lumen quoddam orationis, & sermo atque eloquentia quædam corporis.

De opt. gene. orat. pagi. 380.

Pronunciatio vero duplex est, altera naturalis, quæ facultas est quædam nobis à natura insita, cum venustate agendi, motu corporis, gestu, vultu, vocisque conformatione ac varietate moderata: altera artificiosa, quæ quidem præceptis, & potissimum exercitatione comparatur:

ratur: non enim tota est à natura, sed etiam ab arte traditur.

Ea diuiditur in scænicam, quam scænici, & histriones in agendis comœdijs adhibent, & in Oratoriam, qua præcipue vtitur Orator, prudenterque immutat pro caussarum, locorum, & personarum varietate. Arist. libr. 3. Rhet. ca. 1.

Et hæc maxime distat ab illa, quam histrionum leuis ars, & tragœdorum scæna tradit: nihil enim minus conuenit Oratori, quam modulatio scænica, & scurrilis dicacitas. Quinct.

Iudicium non esse sextam ab alijs distinctam Rhetoricæ partem.

Cap. XI.



Voniam igitur vis Oratoris omnis exposita est: non erunt ij profecto audiendi qui Iudicium sextam eloquentiæ partem esse voluerunt à ceteris omnino distinctam: vel qui eam ita adiecerunt, vt Inuentioni Iudicium subnecterent. Nam adeo tribus primis partibus videtur esse permistũ (quoniam nec inuentio, nec dispositio sine eo, nec elocutio fuerit) vt pronunciatio quoque vel plurimum ab eo mutuari possit. Neque enim inuenisse quidem credendus est is, qui non iudicauit, vel inuenit ea, quæ vitaſse oportuerat. Quod in ceteris item partibus, quæ habent sibi Iudicium annexum, nec ab eo secernuntur facile cuiq; licet intueri. Quinct. li. 3. cap. 3.

Est autem Iudicium sententia per ratiocinationem tacitam, vel expreſsam de ijs, quæ ad persuadendum conferunt. Quod etsi alia pars non sit à ceteris distincta; Idem. li. 6. cap. ulti.

 est

est tamen adeo necessarium in Oratore, ut ceteræ omnes partes sine eo pereant.

Libr. 1. de orat. pagi. 136.

Nec vllus equidem artifex est, qui magis Oratore iudicio ageat atque prudentia. Nam, cum vis Oratoris professioque ipsa benedicendi hoc suscipere ac polliceri videatur, vt de re, quæcunque proposita sit ornate, & copiose ad docendum, delectandum, ac mouendum apposite dicere posit, & artium rerumque omnium scientiam debeat esse consecutus Orator, summam in eo desiderari prudentiam facile intelligi potest. Hactenus disseruimus de eloquentiæ partibus vniuerse; sequitur vt de singulis, quo instituimus ordine, singillatim dicamus.

Finis Libri primi.



M. ANTONII BRAGADENI, PATRITII VENETI,

DE ARTE ORATORIA

Liber Secundus.

DE INVENTIONE, AC PRIMVM.

De Statibus. Cap. I.





VONIAM primum Oratoris munus est inuenire, primum Inuētio, quæ princeps est omnium partium, potissimum in omni caussarum genere qualis debeat esse, consideretur. In part. pagi. 359. b. Libr. 1. de inuen.

Quæstio itaq; primū est in caussa reperienda: in omni autem esse oportet, quo argumenta singula, quibus fidem facit Orator conijciantur.

Eam vero quæstionem ex qua caussa nascitur, Græci nominant σάσιν, id est statum, quod in ea primum insistat, quasi ad repugnandum, congressa defensio: Latini vero eadem significatione statum, & cōstitutionem, quasi omnis in ea caussæ difficultas constituatur appellant. In top. pagi. 357. b.

Status

Libr. 1. de inuent.

Status igitur est quæstio, quæ ex prima intentione, & depulsione nascitur: non tamen oritur semper ex prima caussæ conflictione: quæ priori loco tractatur, cum ea non semper in caussa præcipua sit: & sæpe constitutionis primæ ac potentissimæ confirmandæ caussa, ad quam etiam est illa prior referenda, præmittatur.

De quinq; controuersiæ partibus. Cap. II.



N ea actoris, & aduersarij conflictione quinque insunt controuersiæ partes: Intentio, Depulsio, Ratio, Firmamentum, & Iudicatio. Intentio est criminis obiectio, quæ ab accusatore fit, aut fieri fingitur. Depulsio est eiusdem criminis reiectio, vel inficiatio, quæ fit à defensore. Ratio dicitur ea, quæ affertur à reo ad recusandum, depellendi criminis caussa: quæ, nisi esset, quid defenderet, non haberet. Firmamentum autem est, quod contra ad labefactãdam rationem refertur: sine quo accusatio stare non potest. Ex rationis autem, & firmamenti conflictione, & quasi concursu, quæstio exoritur quædam, quæ conflictatio, & iudicatio nominatur: in qua, quid deueniat in iudicium, & id de quo disceptetur quæri solet.

In part. pagi. 373. b.

Ad Herē. lib. 1. pag. 8. b. In par.

Itaqui Iudicatione reperta, omnem rationem totius orationis eo conferri oportebit. Ea in coniectura, quia ex rationis deductione nasci non potest, nulla est à præcipua contentione seiuncta: nemo enim eius, quod negat factum rationem, aut potest, aut debet, aut solet reddere. Quare, in ijs caussis, eadem, & prima quæstio, & disceptatio est extrema. In ceteris autem, cum est facti subiecta ratio, distinguitur primus status, qui

diffusam

diffusam habet quæstionem à Iudicatione, in qua rationum, & firmamentorum contentio, aducit in angustum disceptationem.

Quot, quiq; sint status: Cap. III.



Mnis res, quæ habet in se positam in dictione, aut disceptatione aliquam controuersiam, aut facti, aut nominis, aut qualitatis continet quæstionem. Etenim tria sunt, quæ de re omni, quæ in controuersiam venit, ab Oratoribus quæri solent: sit necne: quid sit: & qualis sit. Quare tria etiam erunt statuum genera. Coniecturalis, Definitiuus, & Generalis, seu qualitatis. Illa enim quæstio, qua cur aliquid sit, inuestigatur, qualitate, vel coniectura continetur.

Libr. 1. de inuent. Libr. 2. de orat. pagi. 186. b.

Aristot. 1. Post.

De Ora. 1. pagi. 151. In part. Hermog. lib. de stat. capit. 4.

Cum facti controuersia est, quoniã coniecturis caussa firmatur, constitutio coniecturalis appellatur. Cum autem nominis, quia vis vocabuli definienda verbis est, constitutio definitiua nominatur. Cum vero qualis sit res quæritur, quia, & de re & de genere negotij controuersia est, constitutio generalis vocatur.

His tribus constitutionibus omnis infinita, & definita quæstio, tria quoque orationis genera, Demonstratiuum, Deliberatiuum, & Iudiciale aut vna, aut pluribus, aut etiam omnibus continentur. Immo vero in eandem orationem, cum plura quæruntur, omnes status incidere possunt: quamuis non omnes præcipui sint: sed singularis quæstionis, aut ex prima caussæ constitutione orti, qui ad præcipuam illam quæstionem diriguntur.

Libr. 2. de orat. In Top. & part.

Sunt

Hermog. lib. de stat. capit. 3.

Sunt autem caussæ quædam non consistentes, quæ omnem constitutionem respuunt, & ab Oratoribus in Iudicio nisi per deprecationem tractari non possunt.

De statu Coniecturali. Cap. IIII.

Libr. 2. de orat. pagi. 185. b.



Tatus coniecturalis est quæstio, in qua coniecturis aliquid sit nec ne quæritur: quod primum genus ex controuersia facti in Iudicijs potissimum frequentiusq; reperitur, nam hæ caussæ, quæ quidem sunt criminum, plerunque infitiatione defenduntur: tamen in cetera quoque genera orationis incidere potest.

Libr. 1. de inuen.

Ac facti quidem controuersia in duo præcipua tempora potest distribui; in præteritum, & instans: futurum etiam cadit in eas controuersias, quæ de accusatore constituendo, continent in Iudicio quæstionem: cuiusmodi orationes à dicendi Magistris diuinationes appellantur.

In ijs autem, quæ accusatione, & defensione constant, interdum, factum sit, nec ne, quæritur: interdum cum de facto constet, de actore est controuersia, & contra, sed rarius: interdum vero coniunctim, & de facto, & à quo factum sit ambigitur.

De Definitiua constitutione. Cap. V.

In part.



Vm reus negare non potest se non fecisse, debet id, quod obijcitur ab accusatore, non eo nomine appellandum esse contendere. Quare definitiua erit constitutio, cum quo nomine

aliquid

aliquid appelletur controuersia est, vel cum non eo nomine id afficiendum, quo aduersarius affecerit, disceptatur. Libr. 2. de orat. In Top.

In qua vis vocabuli definitione, atq; descriptione, aut etiam informatione est explicanda.

Huius autem constitutionis duo sunt genera, quorum in altero cum de appellatione rei nihil ambigitur, quærendum est quid sit, quod eo nomine exprimitur, in altero autem, in quo non rei, sed nominis controuersia est, quo nomine sit id afficiendum contenditur. Atq; posterius hoc genus in Iudicium reuocatur.

Rursus quæstio nominis duplex est, altera simplex altera coniuncta.

De Qualitatis constitutione. Cap. VI.



I vero neque de facto, neque de facti appellatione ambigi potest, illud vnum restat defensori, vt id, quod arguitur, neget tale eße, quale aduersarius eße dicit, & rectum eße quod fecerit, concedendumve defendat. Status ergo qualitatis, est quæstio, qua res aliqua qualis illa sit inuestigatur: vt cum de vtilitate, honestate, & æquitate disseritur, de ijsque rebus, quæ his sunt contrariæ. In part. Libr. 1. de inuent. pagi. 70. In Top.

Qui quidem status, æqui & veri, & recti, & humani ad ignoscendum disputatione, tractandus est. In par.

De partibus generalis constitutionis. Cap. VII.



Mnis qualitatis ratio, in duas distributa est partes: in qualitatem rei, cum de qualitate facti ambigitur, & in qualitatem actionis, cum aut quem, aut qui cum, aut quomodo, aut apud quos, aut quo iure, aut quo tempore agere oporteat, quæritur, aut omnino aliquid de commutatione, aut infirmatione actionis agitur. Rei controuersia duplex est, rationis, cum omnis quæstio non in scripto, sed in aliqua argumentatione consistit: & scripti, quæ ex scriptionis genere nascitur, illa rationalis, hæc legitima quæstio nuncupatur.

Libr. 1. de inuen. pag. 71. b.

Hermog. li. de stat. cap. 4.

Rationis autem constitutio duas habet partes, Iuridicialem, & Negotialem: aut enim futuris de rebus in Senatu disceptamus, & tunc negotialis constitutio vocatur; aut de præteritis agimus in Iudicio, vbi de iure, atque iniuria quæri solet: iamque proprium habet ex eo nomen, Iuridicialis.

Ad Heren. lib. 1. *Est ergo Iuridicialis constitutio, cum factum esse constat, sed iure, an iniuria factum sit in Iudicijs quæritur.*

Hermog. *Negotialis est, cum de re agenda, vel non agenda in Senatu disceptatur: qui quidem status non distinguitur à Iuridiciali, præterquam, quod huius ab illo diuersa est temporis, & loci ratio.*

De Iuridiciali. Cap. VIII.



Vridicialis constitutionis duæ sunt partes, quarum vna absoluta, altera assumptiua nominatur. Libr. 1. & 2. de inuẽ. pag. 111. b Ad Herẽ. lib. 1.

Absoluta est, cum id ipsum, quod factum est, vt aliud nihil foris assumatur, recte factum esse dicimus. Assumptiua est, quæ ipsa nihil ex se firmi dat ad recusationem, foris autem aliquid defensionis assumit.

Eius partes sunt quattuor, Concessio, Remotio criminis, Relatio criminis, Comparatio, ex quibus status oritur comparatiuus, cuius controuersia est, quum aliquod factum, quod per se ipsum non sit probandum, maioris mali comparatione, vel quod id satius fuerit, defenditur. Eius autem facti defensio per comparationem sumitur à concessione, & remotione criminis.

Concessio est, cum reus non id, quod factum est defendit, sed vt ignoscatur, postulat. Hæc in duas partes diuiditur, in purgationem, & deprecationem. Purgatio est, cum factum conceditur, culpa remouetur. Ea tres habet partes, Imprudentiam, Casum, Necessitudinem. Imprudentia est, cum scisse aliquid is, qui arguitur, negat. Casus autem infertur in concessionem, cum demonstratur aliqua fortunæ vis voluntati obstitisse. Necessitudo infertur, cum vi quadam, & necessario reum id, quod fecerit, fecisse defenditur. Deprecatio est, cum & peccasse, & consulto fecisse confitetur, & tamen postulat, vt sui misereatur. Libr. 2. de inuen. pag. 116. b.

Plurimum vero adiumenti caussæ adfertur, si factum per remotionem criminis defendi potest: quod fit, cum id crimen, quod infertur, ab se, & à sua culpa, vi, Libr. 1. de inuen.

& potestate reus in alium conatur reijcere. Id dupliciter fieri poterit, si aut caussa, aut factum in alium transferetur. Nunc genus negotiale, & eius partes consideremus.

De statu Negotiali. Cap. IX.

Hermog. lib. de stat.



Egotialis constitutio duplex est, altera Rationalis, altera Legalis. Rationalis est, quæ rationibus explicatur, Legalis, quæ lege tractatur. Nam interdum deliberatio pendet à lege, quapropter legibus etiam vtimur, interdum à ratione, & ita rationibus agendum est.

Huius quædam sunt partes cum genere Iuridiciali communes, quæ sunt, Qualitas absoluta, Qualitas assumptiua, Relatio, Comparatio, & Remotio criminis.

Idem. *Sunt autem huius quædam propria suadenti, ac disuadenti maxime animaduertenda, Scriptum, Iustum, Vtilitas, Facultas, Virtus, & Euentus. Ac de constitutionibus quidem, quæ ratione tractantur, satis dictum sit: nūc de ijs controuersiis, quæ in scripto versantur dicendum videtur.*

De statu Legitimo. Cap. X.

Vel de controuersijs, quę in scripto versantur.

Libr. 1. & 2. de inuē. pag. 121.

Ad Herē. 1. pagi. 6.



N scripto versatur controuersia, cum ex scriptionis ratione, legisque interprætatione aliquid contentionis oritur, quod tribus modis contingere potest. Nam, tum verba ipsa videntur cum sententia scriptoris dissidere, tum inter se

duæ

duæ leges, aut plures discrepare, tum id, quod scriptum est, duas, aut plures res significare videtur. Quare primum genus de scripto, & sententia: secundum ex contrarijs legibus, tertium ambiguum nominatur. Ratiocinatio vero, cũ ex eo, quod scriptum est, aliud quoq;, quod non scriptum est, inuenitur, ambiguo recte subijcitur. *Hermog. libro. 1. de stat. ca. de metalep.*

De translatiua constitutione. Cap. XI.



Actenus dictum est de qualitate rei, restat nunc, vt de actionis qualitate aliquid breuiter adijciamus. Ergo translatiua dicitur constitutio, quia actio translationis, aut commutationis indigere videtur. *Libr. 1. & 2. de inuẽ. pag. 108. b*

Ea est, cum caussa ex eo pendet, quod aut, non is agere videtur, quẽ oportet: aut non cũ eo, qui cũ oportet: aut nõ apud quos, quo tẽpore, quo crimine, & qua pœna oportet.

Ex translatione autem controuersia nascitur his modis: cum, aut tempus differendum, aut accusatorem, aut Iudices, aut locum, aut Iudicij formam, aut denique pœnam commutandam reus dicit. *Ad Herẽ. lib. 1.*

De tribus Rhetoricę, vel orationis generibus. Cap. XII.



Aussa cum erit constituta iudicatioque reperta, videndum est Oratori quo in genere caussarum sua versetur oratio: permultum enim id refert ad exordiendum, narrandum, & confirmandum: cum in quibusdam generibus exordia ex visceribus caussæ deprompta esse debeant: quædam narrationem *In part. pagi. 368. Quinct. li. 3. capi. 11.* *Arist. libr. 1. Rhet. capit. 11.*

rationem exigant, quædam respuant: proprijque loci cuiq; generi ad laudandum, consultandum, & confirmandum sint constituti, & ad fines eorum generum accommodati.

In part. pagi. 360. b. Arist. Quinct. li. 3. capi. 4.

Quemadmodum igitur tria sunt auditorum genera, nam, aut auscultator est modo qui audit, aut disceptator, id est rei sententiæq; moderator, ita vt delectetur, aut statuat aliquid: statuit autem, aut de præteritis, vt iudex: aut de futuris, vt senator, sic tria sunt genera Iudicij, Deliberationis, Exornationis.

Arist. lib. 1. Rhet. ca. 10. & 11.

Quæ quidem tria genera, Rhetorices, vel orationis cum Aristotele, quam genera caussarum cum Cicerone malim appellare; ne làtissima materies eloquentiæ, quæ tribus ijs generibus continetur, ad caussas tantummodo contracta videatur. Non enim proposita, caussæq; infinitæ à caussa controuersiaq; definita seiunctæ, separatim explicari possent; quæ tamen siue ad caussam reuocentur de re certis in personis ac temporibus locata, siue infinite sine horum designatione tractentur, sub oratoris materiam cadunt: quippe ornatissimæ primum sunt orationes eæ, quæ latißime vagantur, & à priuata ac singulari controuersia, se ad vniuersi generis vim explicandam conferunt, & conuertunt. Latius enim ornatiusq; de genere, quam de parte disceptare licet, vt quod in vniuerso sit probatum, id in parte sit probari necesse.

Libr. 1. de inuē. 68. b.

Libr. 3. de ora. 240. b

Postea si est Oratoris, quæcunque res infinite posita sit, de ea posse dicere, dicendum erit ei quanta sit Solis magnitudo, quæ forma terræ, de mathematicis, de musicis rebus, alijsq. huiuscemodi infinitis generis sine tempore, & sine persona quæstionibus, & quidem seorsum non poterit, quin dicat, hoc onere suscepto, recusare.

Libr. 2. de orat. pagi. 179. b.

Ac cæteræ quidem species in hæc tria incident genera: singulæ enim dicendi formæ ad ea rediguntur. Neq; vero

Quinct.

vero διδασκαλικὸν. *id est doctrinæ genus est aliud ab illis tribus distinctum, sed per omnia genera diffusum est, singulisque permistum, præcipue vero ad genus Demonstratiuum reuocari potest.*

De genere Demonstratiuo. Cap. XIII.



Enus Demonstratiuum, vel exornatio, quæ quia in laudes maxime confertur, proprium habet iam ex eo nomen laudationis, est quod tribuitur in alicuius certæ rei, vel personæ laudem, aut vituperationem: cuius duæ sunt præcipuæ partes, laus & vituperatio. Tempus vero tum præsens, tum præteritum: sed sæpe accidit vt præterita reminiscentes futura augeremur. Finis est honestas, vel dignitas, & turpitudo. Nam orator, cum laudat honestatem, cum vituperat turpitudinem propositam habet. Motus est delectatio. In part. Ad Heren. lib. 1. Libr. 1. de inuent. Arist. In part. Arist. Libr. 1. de orat. pagi. 151. b. Libr. 2. de inuent. pagi. 128. b.

Ea vero sunt profecto laudanda, quæ bona, ac perfecta sunt, id est cum singula suæ congruentia naturæ sunt consecuta. Vnde felicitas exoritur, quam qui fruuntur, laudandos, qui ab ea vacui ac nudi sunt, vituperandos suscipimus. Omnia igitur, quæ coniuncta cum virtute sunt, maxime commendantur: quæ vero cum vitijs, acriter reprehenduntur: quæ tamen nullam mereri laudem videntur ingenij acuendi, & exercendi caussa laudibus interdum efferri possunt. In part.

Hoc autem, quod latum genus est, saneq; varium, longißime sese diffundit: Eius enim multiplex atq; vbergißime vis in DEI Opt. Max. rerumque diuinarum, in hominum, in animalium, in rerum anima sensuq; carentium laudem, vel vituperationem cadit. Quinct. li. 3. capi. 9.

Conficitur

Inpart.pagi. 368.b. *Conficitur genus hoc dictionis narrandis exponendisque factis, sine ullis argumentationibus ad animi motus leniter tractandos, magis, quam ad fidem faciendam, aut confirmandam accommodate: sæpius enim non dubia firmãtur, sed ea, quæ certa, aut pro certis posita sunt augetur. Quamobrem ipsa oratio sit quasi perpetua quædam amplificatio, & rerum omnium exornatio, quæ aurium delectationem sectetur. Nam in ijs caussis ratio fere omnis ad voluptatem auditoris, & ad delectationem refertur. Propterea vtendum erit ijs in oratione singulorum verborum insignibus, quæ habent plurimum suauitatis. Adhibenda frequentius etiam illa ornamenta rerum sunt, siue quæ mirabilia nec opinata, siue significata monstris, prodigijs, oraculis; siue quæ videbuntur ei, de quo agimus accidisse diuina atq; fatalia: omnis enim expectatio eius, qui audit, & admiratio, & improuisi exitus, habent aliquam in audiendo voluptatem: sed in toto quasi contextu orationis hæc erunt maxime comparationibus illustranda.*

Arist.libr. 1.Rhet. capi. 23. Quinct. Inpart. Arist.

Aristr.lib. 1.Rhet.capit. 21. Libr. 2. de orat.pagi. 220. *Ceterum videndum est apud quos quempiam laudes: nam, vt aiebat Socrates, Athenienses Athenis laudare factu facile est: difficile vero apud Lacedemonios. Iam vero vituperandi præcepta contrarijs ex vitijs summenda esse perspicuum est.*

Arist.libr. 1.Rhet. capit. 22. *Nunc transeamus ad genus consultationis, quod huic generi exposito affine, communique forma quadam cognatum esse videtur: nam quæ in consilio dando præciperes, eadem commutato dicendi genere, Encomia fiunt.*

De ge-

De genere Deliberatiuo. Cap. XIIII.



Eliberatiuum genus est, quod positum in consultatione suasionem, & dissuasionẽ continet; quæ eius etiam duæ sunt partes. Est autem in consultatione finis suapte natura vtilitas, quæ tamen cum honestate coniuncta sit: sed Orator interdum ratione personarum honestatem, interdum autem vtilitatem spectat. Intelligimus enim hominum duo esse genera: alterum indoctum, & agreste, quæ anteferat semper vtilitatem honestati: alterum expolitum, quod rebus omnibus dignitatem anteponat. Itaque huic generi laus, honor, gloria, fides, omnisque virtus; illi autem alteri quæstus, emolumentum, fructusq; proponitur, atque etiam voluptas: quorum in cohortando, & suadendo prudens Orator rationem habere debet.

Ad Heren. Libr. 1. Libr. 1. de inuen. Arist. libr. 1. Rhet. capit. 11. In part. pagi. 370. b. Quinct. li. 3. cap. 10. In par. pagi. 371. b. Quinct.

Proprium autem tempus huic generi futurum subijcitur: quia de futuris fit deliberatio; quæritur tamen interdum de præteritis. Motus in consilio dando sententiaq; dicenda, suadenti, spes, dissuadenti, reformidatio proponitur.

Arist. In par. pagi. 360. b. Quinct.

Tria vero in suadendo, & in dissuadendo primum spectanda sunt: quid sit, de quo deliberetur: qui sint, qui deliberent: qui sit, qui suadeat.

Quinct.

Est autem consultatio de ijs, quæ fieri possunt, & sæpe contingere solent, non à natura, vel à fortuna, sed de ijs quæ in potestate nostra sita sunt: nam quæ aliter se habere non possunt, & vires nostras excedunt, à deliberatione exscluduntur.

Arist.

Itaque primum videndum erit, quid aut possit fieri, aut non posit; & quid, aut necesse sit, aut non necesse:

In part. pagi. 370. b.

Libr. 2. de orat. pagi. 218. nam si quid effici non potest, deliberatio tollitur, quamuis honestum, & vtile sit: cum autem quæritur quid fieri possit, videndum etiam est, quam facile possit: nam quæ perdifficilia sunt, perinde habenda sæpe sunt, acsi effici non possint: & cum de necessitate attendimus, si quid non necessarium videbitur, videndum tamen erit, quam sit magnum: quod enim permagni interest, pro necessario sæpe habetur.

Libr. 2. de inuent. pagi. 131.

Quinct. Tum, si constet fieri posse, vtile, vel honestum sit, nec ne, suasori, vel dissuasori docendum erit.

Et deniq;, num eo tempore, & loco, an alio modo fieri debeat: sunt enim res quædam, ex tempore, & ex consilio, non ex sua natura considerandæ: quibus in omnibus quid tempora petant, aut quid personis dignum sit, considerandum est: & non quid, sed quo quidq; animo, qui cum, quo tempore, quam diu fiat, est attendendum. Sed latius de ijs qui deliberant, & de eo, qui in dando consilio versatur, nostri non est instituti dicere.

Libr. 2. de inuẽ. 132. b.

In par. pagi. 372. Vterq; vero, & suasor, & dissuasor ad confirmandum habeat exemplorum copiam, aut recentium, quo notiora sint, aut veterum, quo plus habeant auctoritatis.

Libr. 2. de ora. Atq; hæc in Senatu minori apparatu agenda sunt; sapiens enim est consilium, multisque alijs dicendi relinquendus est locus: Quare, tota oratio simplex, & grauis, & sententijs ornatior, quam verbis esse debet: Ingenij quoque vitanda est omnis ostentationis suspicio.

In part.

De ge-

De genere Iudiciali. Cap. XV.



Ciuilium caussarum hoc genus in priuatarum ac publicarum rerum lege, aut more positum; cuius scientia neglecta est ab Oratoribus plerisq;, Oratori absoluto nobis ad dicendum necessarium videtur. Nunquam enim perfectus aliquis numeratur Orator, nisi in omnibus caussarum generibus fuerit aliquando versatus. In par. pagi. 373.

Forense dicendi genus est, quod habet in se accusationem & defensionem, aut petitionem, & recusationem. Atque eius quidem generis partes, sunt accusatio, & defensio: Finis vero æquitas: quæ non simpliciter spectatur, sed ex comparatione nonnunquàm: in quibus causis quid æquius, æquissimumue sit quæritur: Tempus, est præteritum, quia de præteritis fit iudicium: Motus vero sæuitia, aut clementia continetur. Libr. 1. de inuen. pag. 68. b. Ad Here. lib. 1. c. 1. In part. pagi. 372. b. Libr. 1. de orat. pagi. 151. b. Arist.

Ceterum caussa omnis, in qua pars altera agentis est, altera recusantis, aut vnius rei controuersia constat, aut plurium: illa dicitur simplex, ista vero coniuncta, quæ pariter eiusdem, vel diuersorum est generum, & simpliciter, vel comparate tractatur. Quinct. li. 3. capi. 12.

In hoc vero Iudiciali genere argumentationes sunt maxime necessariæ: quod enim factum esse dicitur, propterea quod est incertum, caussam, & probationem requirit: quo in genere lacertosa oratio, & interdum concisa, quæ aduersarium vrgeat, concitataq; sit, & ad animum eius, qui audiet accommodetur. Arist. li. 1. Rhet. c. 23

Quid sit Argumentum, & Argumentatio. Cap. XVI.



Ost hæc sequitur, vt ad probandam, vel infirmandam quæstionem, seu iudicationem repertam atque propositam omnis Oratoris vis, & diligentia sese conuertat: quod fiet argumenti excogitatione. Est autem argumentum probabile inuentum ad faciendam fidem, quod argumentatione fidei faciendæ instrumento, exprimitur, Est enim argumentatio argumenti explicatio, artificiosaq; expolitio; quæ aliqua ratiocinationis forma conficitur.

In part. pagi. 359. b.

In part. pagi. 365.

De argumenti inuentione. Cap. XVII.



Erum inuentio, cum omnium scientiarum artiumque cognitione comparetur, atque perficiatur, vnde omnis desumitur copia, dicendique facultas: excogitatio quoque argumenti rei dubiæ fidem constituẽtis, ex ijsdem dimanet abditis scientiarum fontibus necesse est.

Cic. in topic. pagin. 346.

Verum, quo facilius homines habeti tardoque ingenio ad quamlibet propositam quæstionem idonea in vtrãque partem excogitarent argumenta, proposuit Aristoteles communes quosdam locos, ex quibus omnis argumentatio ex illa immensa rerum varietate facile ad omnem disputationem inueniretur.

Libr. 2. de orat. pagi. 191. b.

In orat. pagi. 314.

Sicuti enim earum rerum, quæ absconditæ sunt, demonstrato, & notato loco, facilis inuentio est; sic, cum peruestigare argumentum aliquod volumus, locos nosse debemus;

In Topic. pag. 345. b

Libr. 2. de orat. pagi. 194. b.

debemus; qui notæ quædam sunt, & quasi sedes, e quibus argumenta promuntur: quoniam in eis, veluti in receptu, & thesauro quodam, omnia faciendæ fidei instrumenta reposita sunt: vel sunt indices, quorum admonitu, quid in quaque re idoneum sit, facile inuenitur. Arist. Cic. in Topic. pagin. 346. Quinct. li. 5. cap. 4.

Quapropter qui volet in dicendo excellere, locos omnes cognitos assiduaque meditatione paratos, atq; expeditos, frequentique exercitatione tractatos habere debet. Quibus in mente, & cogitatione defixis, & in omni re ad dicendum posita excitatis, nihil erit, quod Oratorem omnino in vllo genere dicendi effugere possit. Verum intelligendum est, sicuti ad consequendam eloquentiam, ita & ad inueniendum quædam esse maiora: ars tantum demonstrat vbi quæras, atque vbi sit illud, quod studeas inuenire: reliqua sunt in cura, attentione animi, cogitatione, vigilantia, assiduitate, labore, & diligentia. Libr. 2. de orat. pagi. 191. Libr. 2. de orat. pagi. 194. b. Libr. 2. de orat. pagi. 191. b.

Ex iisdem vero locis materia trahitur & ad fidem faciendam, & ad animos impellendos: qui mouentur præcipue, & concitantur amplificatione, quæ grauior quædam est affirmatio, quæ motu animorum conciliat in dicendo fidem. In part. pagi. 366.

Atque de inuentione satis dictum sit: eius enim naturam velle accuratius perscrutari, & quæ speciatim valent ad hominum mentes affectusq; permouendos explicare, à nostro instituto valde alienum est.

Finis Libri secundi.

M. AN-

M. ANTONII BRAGADENI, PATRITII VENETI,

DE ARTE ORATORIA

Liber Tertius.

DE DISPOSITIONE.

Quid & quotuplex sit Dispositio. Cap. I.



In part. pagi. 360. Quinct. li. 7. in præfa.



LTERVM munus Oratoris est, ut post eorum inuentionem, quæ ad fidem faciendam, & motus auditorum animis afferendos pertinent, ad orationis dispositionem, locorumq; & rerum inuentarum fidei faciendæ collocationem, se continuo conferat. Neq; enim dispersæ, atq; implicatæ res inuentæ, quanuis uberrimæ, & copiosissimæ sint, quicquam gratiæ, vel lucis ac venustatis habere, aut in dicendo fidem & motum animorum facere possunt, nisi ordine quodam digestæ, ac ita partite sint inter se deuinctæ, vt certo quicq; loco apte congruēterq; pronuncietur.

Quare

Quare deinceps videndum erit cuiuſmodi rationem in diſtribuendo ſeruare conueniat.

Itaq; diſpoſitio facultas eſt, qua inuenta pro rebus atq; perſonis prius poſteriuſue ad perſuadendum appoſite collocantur.

Diſpoſitionis vero tria ſunt genera: vnum partium orationis: alterum locorum, ſiue argumentorum: tertium argumentationum. Ad Here. lib. 3. pagi. 29. b.

Eſt autem horum generum duplex tractandi ratio: altera naturalis, quam affert natura cauſſarum, in eaque naturalis ordo ſeruatur: altera artificioſa, vel, vt quibuſdam videtur, artificij expers, quæ oratorum iudicio, & prudentia maxime comparatur: nec ideo ſine arte dicitur, quod ita ſit; ſed, quod eam non parit Oratoris ars, ſed foris ad ſe delatam, arte tamen tractat: traditur enim ea diſpoſitio quibuſdam, quamuis non omnino certis præceptis, cum ad cauſſæ vtilitatem, & ad rationem temporum, & perſonarum debeat eſſe accommodata: pariter iiſdem naturalem diſpoſitionem placet artificio atq; doctrina conſtrictam appellare. Libr. 2. de orat. 214. b. Ad Here. lib. 3.

Nam, vt aliquid ante rem dicamus, deinde vt rem exponamus, tum, vt quibus de rebus, quoue ordine dicturi ſumus proponamus, poſtea vt expoſitam rem probemus noſtris præſidiis confirmandis, contrariis refutandis, deniq; vt concludamus, atq; ita peroremus, hoc dicẽdi genus natura ipſa atq; doctrina præſcribit. Item, ex inſtitutione artis nõ modo totas cauſſas per orationẽ, ſed ſingulas quoq; argumẽtationis partes diſponemus, id eſt expoſitionẽ, rationẽ, confirmationem rationis, exornationem, & complexionem. Vt vero pro locis cauſsis, temporibus, atque perſonis, varie diſpenſemus orationem, naturaliſque ordinis permutationem faciamus, atque ſtatuamus ea, quæ probandi, docendi, perſuadendique Lib. 2. de orat. Ad Here. lib. 3.

cauſſa

caussa dicenda sunt, quemadmodum componamus, id est vel maxime proprium Oratoris prudentiæ.

Quare, de illius generis altera dispositione, quæ certis continetur præceptis, modo disputandum est: ordinem postea, & collocationem argumentorum, dispositionemque argumentationum, cũ accesserimus ad confirmationem, aperiemus.

De partibus orationis. Cap. II.

Libr. 3. de orat. pagi. 226. Libro. 2. de orat. pagi. 179.



Artes intimæ, ex quibus omnis cõstat oratio, sunt res, & verba, quæ seiuncta ac dissociata esse non facile patiuntur: neque enim verba fidem habere possunt, si rem subtraxeris, neq, res lumen, si verba semoueris.

Arist. li. 3. Rhet. c. 15.

Duæ vero sunt vniuersæ orationis partes, Propositio, vel Narratio, & Confirmatio, quæ in omni oratione semper necessariæ sunt: Vt vero auditores spectat oratio, quinque habet partes, Exordium, Narrationem, Propositionem, Confirmationem, vel Contentionem, & Perorationem.

In part. pag. 359.

Quarum tres præcipuæ valent ad rem docendam, narratio, propositio, & confirmatio: ad impellendos animos duæ, principium, & peroratio.

His omnibus partibus, caussæ & adiunctorum habita ratione, prudenter vtetur Orator: neque enim omnes eas partes in qualibet oratione adhibere necesse est: neque eo perfectionis quicquam deerit orationi: sed interdum plures, interdũ pauciores ad caussæ vtilitatem apte accommodari debent.

In orat. pag. 305.

Quare in ijs, vt in ceteris, hæc maxima sapientia dicenti est adhibenda, vt sit rerum, temporum, personarumque moderator.

De exordio vniuerse. Cap. III.



Xordium, quod inuentum est ad auditorum animos aucupandos, est orationis pars, animum auditoris idonee comparans ad reliquam dictionem. Quinct. li. 4. capi. 2. Libr. 1. de inuen. pag. 73.

Qui vero bene caussam exordiri volet, eum necesse est præter tria Rhetoricæ genera, Demonstratiuum, Deliberatiuum, & Iudiciale, hæc alia quoque genera diligenter ante cognoscere.

Caussarum quinque sunt genera, Honestum, Turpe, Dubium, vel Anceps, Humile, & Obscurum. Honestum caussæ genus est, cum id defenditur, aut oppugnatur, quod ab omnibus defendendum, aut oppugnandum videtur: Turpe est, quod pugnat cum honestate: Admirabile vero, quod est præter hominum opinionem constitutum: Dubium, vel Anceps, quod habet in se partes honestatis, & turpitudinis: Humile, cum res contempta affertur, quæ ab auditore negligitur, nec magnopere attendenda videtur: Obscurum, in quo caussa est implicata. Ad Here. lib. 1. Quinct. li. 4. cap. 1.

Quare, cum diuersa sint caussarum genera, exordiri quoque dispari ratione in vnoquoq; genere necesse est. Ad Here. lib. 4. c. 1. de inuent.

Itaque exordiorum duo sunt genera, Principium, & Insinuatio. Principium est oratio perspicue, & protinus perficiens auditorem beneuolum, aut docilem, aut attentum. Insinuatio est oratio quadam dissimulatione, & circuitione obscure subiens auditoris animum. Sed quando, & qua ratione in singulis generibus vtendum sit exordio, & insinuatione statim aperiemus, si prius exordiorum munera explicuerimus.

De exordiorum officijs. Cap. IIII.

Libr. 2. de orat. pagi. 215.

Libr. 1. de inuent. Ad Herē. li. 1. pag. 2.



Vm potissimum ea de caußa adhibeatur exordium, vt animus auditoris commoueatur, & excitetur ad ea, quæ sequuntur; in eo profecto motus aliquis, (modo id caußa patiatur) adhibendus erit: qui fiet, si auditorem beneuolum, attentum, docilemque fecerimus.

Auditoris beneuolentia tribus ex locis maxime comparatur: à re ipsa, à personis, & ab adiunctis rerum ac personarum.

Attentio vero captatur, cum à nostra persona, tum maxime à rebus ipsis.

Dociles autem auditores habebimus, si summā caussæ breuiter, & id in quo consistit controuersia exponemus, vel breui partitione vtemur, & si eos attentos fecerimus: nam docilis est is, qui attente vult audire. Et hoc quidem ex tribus ijs muneribus, magis est proprium, & in omni exordio adhibendum.

Lib. 2. de orat.

Ad Herē. lib. 1. pagi. 3. b.

Libr. 2. de orat. pag. 216. b.

Verum, hæ tres vtilitates, tametsi in tota oratione sint custodiendæ, hoc est, vt auditores se se perpetuo nobis attentos, dociles, & beneuolos præbeant; tamen, id per exordium caussæ maxime comparandum est.

Quinct.

Hæc tamen tria munera non semper in omni exordio, sicuti nec ipsa principia adhibere necesse est: sed vnum, aut alterum, pro caussarum varietate, desideratur.

In exordio quoque interdū incutiendus, interdū remouendus est timor: & illud auferendū principio est, quod nobis impedimēto eße potest, quo minus amice, intelligēter, & attente audiamur. Quæ vero aduersariorum caußam iuuare videntur, initio leuanda, & imminuenda sunt.

De

De exordijs singulorum generum. Cap. V.



Actenus de exordio diximus vniuerse, nunc separatim dicendum est: siquidem exordia in singulis generibus, vt caussarum sint propria, varia esse debent.

Ac primũ in genere Demonstratiuo proœmia sunt maxime libera: nam & à re ipsa, & longe à materia, & omnino quoque extra caussam, dummodo sequentibus cohæreant, duci possunt. Quanuis autem late pateant: ex his tamen locis præcipue sumi solent: à laude, & vituperatione, à suasione, & dissuasione, & ab auditoris persona. Arist. libr. 3. Rhet. capit. 16. Quinct. li. 3. cap. 10. Arist. ibid.

Genus Deliberatiuum nullum suapte natura requirit exordium: sunt enim ad audiendum qui deliberant sua caussa parati. Quod si principia adhibeantur, breuia esse debent: non enim supplex, vt ad Iudicem, venit Orator; sed hortator atque auctor. Exorditur autem aut actoris, aut aduersarij, aut rei ipsius caussa, vt criminationem afferre, aut depellere, aut augere, aut extenuare posit: aut certe principia hoc genus postulat ornatus gratia, ne amputata, & abrupta videatur oratio. Quare in sententijs dicendis, Orator proponere qua mente dicat, quid velit, quibus de rebus dicturus sit, debet: hortarique ad se breuiter dicentem audiendum. Arist. ibi. In part. pagi. 360. b. In part. pagi. 372. b. Quinct. Arist. In part.

In Iudicijs autem magis, quam in ceteris opus est exordio; cum ex parte rerum, tum etiam personarum, ne temere suscepta ab Oratore accusatio videatur, & vt defensor commode posit illatum crimen depellere.

Hæc autem principia non extrinsecus aliunde quæ- Libr. 2. de orat. 216.

Arist. li. 3. Rhet. c. 16 Quinct. li. 4. cap. 1.

renda, sed ex ipsis visceribus caussæ, veluti ex accusatione, & defensione sumenda sunt. Quod si caussa honesta, aut perspicua, aut parua fuerit, licebit non vti principio, sed à re ipsa exordiri sæpe commodius.

De exordio, & insinuatione in alijs caussarum generibus. Cap. VI.

Quinct. ib.



X ante propositis exordiorum muneribus, aliud atq; aliud in singulis ijs caussarum generibus adhibendũ est. In honesto quidem genere nullum exordium, vel breue esse debet: in quo breuiter proponamus quibus de rebus dicturi sumus: hoc enim genus ad conciliationem satis per se valet.

Ad Heren. Libr. 1. Quinct.

At vero in ancipiti maxime beneuolum Iudicem partes turpitudinis remouendo, personaq; virtutes narrando, in obscuro docilem, in humili attentum parare debemus: In admirabili & turpi, vel inopinato non principio, sed insinuatione opus est: quæ latenter, dissimulatione quadam, subeat animos.

Ad Herẽ. lib. 1. pa. 3.

Tria itaque sunt tempora, quibus insinuatione vtendum est: aut cum turpem caussam habemus, aut cum animus auditoris persuasus esse videtur, aut cum defessus est audiendo.

Quinct.

Quibus autem aduersus hæc remedijs sit medendum, consilium ex propria caussæ ratione capiendum erit. Illud vniuerse præceptum sit, vt ab ijs, quæ lædunt, ad ea quæ prosunt, refugiamus. Si enim caussa laborauerimus, persona subueniet: si persona, caussa: Interdum vero pro eo homine, in quo offenditur alium hominem, qui diligitur interponi oportet, interdũ pro re, quæ caussæ contrahit

Libr. 1. de inuent. pagi. 74. b.

contrahit offensionem re, quæ probetur alia quodam artificio, & ratione tractandi ad caussæ vtilitatem vtendum erit. Qua in re principio danda est opera, vt mira amplificatione ea res insolens, & incredibilis videatur: deinde rem, seu crimen cum diu auxerimus, nihil simile à nobis factum esse ostendemus. *Ad Herē. libr. 1.*

Si persuasus fuerit auditor, his rebus nos insinuabimus ad caussam: De eo, quod aduersarijs firmissimum sibi adiumentum pararint, primum nos dicturos pollicebimur; aut exordiemur ab eo, quod illi nuperrime dixerint: aut cum admiratione dubitabimus quid potissimū refellamus.

Si defessus erit audiendo, nos breuius dicturos pollicebimur: si res dabit, ab aliqua re noua, & iucunda risum excitabimus: sin vero ab aliqua graui sententia exordiemur.

De exordiorum virtutibus. Cap. VII.



N exordienda caussa maxime seruandū est, ne principia sint longe petita, vel penitus foris assumpta: Ea enim semper cum accurata, acuta, & instructa sententijs, & apta verbis: tum vero caussarum propria esse debent. *Libr. 2. de orat. pagi. 215. b.*

Atque ita principium connexum consequenti sit orationi, vt cohærens cum omni corpore membrum esse videatur. Sententiarum quoque & grauitatis plurimum debet habere, & omnia prorsus, quæ pertinent ad dignitatem continere in se: propterea quod id optime faciendum est, quod Oratorem auditori maxime commendat: splendoris, & festiuitatis, & concinnitatis minimum: quoniam ex his suspicio quædam apparationis, *Eod. lib. pagi. 216. b. Libr. 1. de inuen. pag. 75.*

atq;

atq; artificiosæ diligentiæ nascitur, quæ maxime orationi fidem, Oratori adimit auctoritatem.

In orat. pagi. 325.

Quare, exordia sint verecunda, non elatis intensa verbis, sed acuta sententijs, & ad offensionem aduersarij, vel ad commendationem sui, significentq; ipsius Oratoris amabiles mores: lenis autem sit sermo, & vsitata verborum consuetudo.

Ad Herē. li. 1. pagi. 4. Quinct.

De exordiorum vitijs. Cap. VIII.

Libro. 1. de inuen. Ad Herē. lib. 1.



Itia vero hæc sunt certissima exordiorum, quæ summopere vitare oportebit. Vulgare, quod in plures caussas potest accommodari, vt conuenire videatur. Commune, quod nihilominus in hanc, quam in contrariam partem caussæ potest conuenire. Commutabile, quod ab aduersario potest leuiter mutatum, ex contraria parte in suam vtilitatem deflecti. Longum, quod pluribus verbis, aut sententijs vltra, quam satis est, producitur. Separatum, quod non ex ipsa caussa ductum, nec sicut aliquod membrum anexum est orationi. Translatum, quod aliud conficit, quam caussæ genus postulat. Contra præcepta, quod nihil eorum efficit, quorum caussa de exordijs præcepta traduntur.

Quinct.

Quorum pleraq; non principij modo sunt vitia, sed totius prope orationis.

De Narratione. Cap. IX.



Arratio est rerum gestarum, aut vt gestarum expositio. Narrationum tria sunt genera. Libr. 1. de inuen. Ad Here. lib. 1.

Vnum genus est, in quo ipsa caussa, & omnis ratio controuersiæ continetur: & hæc narratio, quædam est quasi sedes, ac fundamentum constituendæ fidei. In part. pagi. 363. b.

Alterum, in quo digressio aliqua extra caussam, aut fidei, aut criminationis, aut similitudinis explicandæ, aut delectationis non alienæ ab eo negotio, quo de agitur, aut amplificationis, aut transitionis, aut alicuius apparationis vel laudationis caussa interponitur: Quæ quidem narratio est alicuius rei ad vtilitatem caussæ pertinens extra ordinem excurrens tractatio. Quinct. li. 4. cap. 2.

Tertium genus est, quod à caussa ciuili remotum est. Cuius duæ sunt partes: quarum altera in negotijs, altera in personis maxime versatur.

De narratione in singulis generibus. Cap. X.



T S I narratio in quibus orationibus adhibetur, debeat esse pars à ceteris partibus omnino secreta atque distincta, quæ statim exordium consequatur: tamen, suapte natura, in causis tantum generis Iudicialis numeratur pars orationis. Arist. li. 3. Rhet. c. 15.

Nam, ea in genere Deliberatiuo nulla fere, vel breuis esse debet: est enim narratio præteritarum rerum, aut præsen- In part. pagi. 360. b. Arist.

præsentium, quæ non cadunt sub deliberationem, cum suasio sit futurarum.

Idem li. 3. Rhet. c. 17. *In exornatione vero nō est aliqua, ex se, distincta narratio, quæ necessario consequatur exordium. Conficitur enim hoc genus perpetua factorum narratione, & amplificatione.*

Libr. 2. de orat. pagi. 217. b. Quinct. *Sed quando in Iudicijs utendum, aut non sit narratione, id est consilij. Neq. enim si res nota est, nec dubiū sit quid gestum fuerit, & de iure quæratur, aut si caussa breuis erit, narrare oportet: satis est enim propositio: nec si aduersarius narrauit, nisi si refellemus.*

Libr. 1. de inuen. pagi. 77. *Illud præterea considerare oportebit, ne aut cum obsit narratio, aut cum nihil prosit, tunc interponatur, aut non loco, aut non quemadmodū caussa postulat, narretur.*

Obest, cum ipsius rei gestæ sola expositio magnam excipit auditorum offensionem, quam argumentando leniri Quinct. *oportebit: interdū enim admittit narratio quandam simplicem ac breuem confirmationem.*

Quod cum acciderit, non erit narratio à confirmatione seiungenda, sed membratim oportebit partes rei gestæ dispergere in caussam, & ad vnamquamq; confestim rationem accommodare; vt vulneri præsto medicamentum sit, & odium statim defensio mitiget.

Leniter autem auditorum animi incitandi, monendiq; sunt affectus.

Cuiusmodi debeat esse Narratio. Cap. XI.

Ad Herē. lib. 1. Libr. 1. de uent. pagi. 76. b. In part. 363. b.



Ria igitur oportet narrationem habere, vt breuis, vt dilucida, vt verisimilis sit. Narrare vero rem breuiter iubent (si breuitas appellanda est) cum verbum nullum redundet, tantumq, verborum sit, quantum necesse est: Vidēdū

est autem, quod sæpe obest vel maxime in narrando, ne breuitas aut obscuritatem afferat, aut eam virtutem, quæ narrationis est maxima, vt iucunda, & ad persuadendum accommodata sit, tollat. Libr. 2. de orat. p agi. 217. Arist. Quinct.

Erit autem narratio breuis, si rem non altius, quam vnde erit necesse, repetemus: si nihil extra caussam dicetur: tum etiam si reciderimus omnia, quibus sublatis, neq; cognitioni quicquam, neque vtilitati detrahitur. Lib. 1. de inuen.

Aperta vero, & dilucida poterit esse, si verbis vsitatis narrabitur, si rerum, ac temporum ordinem seruabimus, si nequid perturbate, ne quid contorte, ne quid ambigue dicetur.

Verisimilis, seu probabilis erit narratio, si personis, temporibus, & locis consentiet: si cuiusque facti, & euenti caussa ponetur, si cum hominum opinione, auctoritate, si cum lege, cum more, cum religione coniuncta. In part.

Narratio præterea eiusmodi esse debet, quæ morum significationem præbeat: quod fiet, si probitas narrantis, & aduersariorum vitia significabuntur. Arist.

Plurimum quoque suauitatis habere debet; suauis autem narratio est, quæ habet admirationes, exspectationes, exitus inopinatos, quæ interpositos motus animorum, colloquia personarum, dolores, iracundias, metus, lætitias, cupiditates. In part.

Hæc omnia non modo in narratione seruanda sunt, sed etiam in reliquis fere partibus: quorum partim sunt necessaria, partim assumpta ad ornandum.

De Propositione, ac Partitione. Cap. XII.

Arist. li.3. Rhet.c.15.



Ropositio, quæ breuis est totius caussæ expositio, generatim atque vniuerse necessaria pars cuiuslibet orationis existimatur, necesse est enim rem primo de qua agimus exponere: deinde eã argumentis confirmare: at vero singillatim, vt in ea proponimus quibus de rebus verba facturi sumus, caussamq; partimur, à ceteris partibus orationis seiungitur: nec propterea propositio, cum est distributioni continuata atq; annexa, duæ sunt orationis partes, sed vna tantum.

Quinct. li. 4.cap.5. *Partitio est nostrarum, aut aduersarij propositionum, aut vtrarumq; ordine collecta enumeratio.*

Libr. 1.de inuen. pagi.77.b. *Partitionis duæ sunt partes: altera seiunctio, quæ quid cum aduersarijs conueniat, aut non conueniat, & quid in controuersia relinquatur ostendit: altera distributio, in qua rerum earum, de quibus sumus dicturi, breuiter expositio ponitur distributa: ex qua conficitur, vt certas animo res teneat auditor, quibus dictis, intelligat fore peroratum. Nunc vtroq; genere partitionis quemadmodũ conueniat vti, breuiter dicendũ videtur.*

Quando partitione vtendum sit, & cuiusmodi esse debeat. Cap. XIII.

Quinct.



Ropositio, vel partitio caussæ, quæ exordium, vel narrationem consequitur, non semper necessaria est in omni oratione, ac potissimum si quæratur de facto, quod notum est; aut si

narrationis

narrationis finis sit cum probatione coniunctus, vel si quid statim esset confutandum.

Itaque, si plura obijcienda sunt, vel diluenda, vtilis est, & iucunda partitio, vt quid, quaque de re dicturi sumus, ordine appareat, quæ sicuti non semper necessaria, aut etiam superuacanea est, ita opportune adhibita, plurimum orationi lucis, & gratiæ confert. Idem. Libr. 1. de inuent.

Eam vero nec minus duarum, nec plus quinq; partiũ numero contineri oportet: nam, & periculosum est, ne quando plus, longiusve dicamus, & suspicionem afferat auditori meditationis, & artificij, quæ res fidem abrogat orationi. Ad Herẽ. li. 1. pag. 5. b.

Quod, si quod in genus plures incident partes, id, cũ in prima partitione caussæ erit simpliciter ac generatim expositum, distribuetur eo tempore commodissime, cum ad ipsum ventum erit explicandum in caussæ dictione post partitionem. Libro. 1. de inuen. pag. 78.

Quæ autem paritio rerum distributam continet expositionem, aperta, dilucida, & breuis esse debet: breuis est, cum nisi necessarium nullum assumitur verbum: paucitas quoque in partitione seruatur, si genera ipsa rerum ponantur, neque permiste cum partibus implicentur: ad dilucide vero, & aperte explicandum ac diuidendum tradita præcepta superius de narratione conferrent: ac si ea quoque custodientur, quæ in Dialectica præcipiuntur. Quinct. Lib. 1. de inuen.

Atque his de partitione præceptis, in omni dictione meminisse oportebit, vt et prima quæq; pars, vt exposita est in partitione, sic ordine transigatur, nisi vtilitas caussæ aliud consilium capere admoneat.

De Contentione, seu Confirmatione. Cap. XIV.

In part. pagi. 363. b. Libr. 2. de orat. pag. 217.



Vnc ea sequuntur, quæ ad faciendam fidem pertinent, quæ quidem in confirmationem, & in reprehensionem diuiduntur. Nam in confirmando nostra probare debemus, in reprehendendo redarguere contraria: sed quia neque reprehendi quæ contra dicuntur, possunt, nisi tua confirmes, neque hæc confirmari, nisi illa reprehendas, iccirco hæc & natura, & vtilitate, & tractatione coniuncta sunt.

Libr. 1. de inuent. pagi. 79.

Confirmatio est, per quam argumentando nostræ caussæ fidem, & auctoritatē, & firmamentū adiungit oratio.

Ea constat materia, & forma: Materies sunt firmamenta caussæ, & argumenta, quæ ad faciendam fidem suggeruntur. Forma vero est tractandi ratio, & oratorium genus ipsum dicendi, quod dilatatum, sublime, & exaggeratum esse debet.

Hermog. Libr. 1. de inuen. Ad Herē. lib. 1.

Hæc autem pars præcipue nobis colenda est, atq; exercenda: obtinet enim præcipuum locum inter ceteras partes, cum spes tota vincendi, ratioq; persuadendi posita sit in confirmatione, & confutatione.

Quæ, cum simul coniunctæ sunt, vnam duntaxat partem efficiunt. Sed quoniam neque nostra confirmare, neque aliena confutare poßumus, nisi res inuentas collocemus, atq; ordine & tractatione disponamus, quibus materies omnis, & contentionis forma consumitur; propterea quomodo status caussæ tractetur, & qua ratione inuenta collocentur, argumentationesque disponantur, omnino explicandum est. Atq; ijs reliquæ duæ dispositionis partes superius positæ continentur.

De extremæ diſceptationis tractatione, argumentorumq; collocatione. Cap. XV.



D eam igitur primam cauſſæ quæſtionẽ, conſtitutamque iudicationem probandam, vel infirmandam cauſſæ firmamenta ſuggerenda ſunt. Quare diſceptatio propoſita eſſe debet Oratori, quo omnes argumentationes repertæ ex inueniendi locis conijciantur: quod ſatis eſt ei, qui videt quid in quoque loco lateat, quique locos illos tanquam theſauros aliquos argumentorum notatos habet. In part. pagi. 374. b.

Ex quibus cognitis, penituſque perſpectis, frequentique vſu tractatis omnia ad omnem orationem argumenta ducuntur. Vbi enim eum locum omnem, intra quem cauſſa continetur, cogitatione ſepſeris, ſi modo rerum vſum percallueris, nihil te effugiet, atq; omne, quod erit in re occuret, atq; incidet. Libr. 2. de orat. pagi. 191.

Nec vero vtetur Orator imprudenter hac copia, ſed omnia expendet, ac ſeliget: non enim ſemper, nec in omnibus cauſſis ex ijſdem locis eadem argumentorum momenta ſunt. Iudicium ergo in ijs, vt & in ceteris adhibebit; nec inueniet ſolum quid dicat, ſed etiam expendet. In orat. pagi. 314. In part. pagi. 360.

Seruanda eſt etiam argumentorum diſpoſitio, & collocatio, dandaq; eſt opera, vt in oratione firmiſſimum quodq; ſit primum: dum illud tamen diligenter teneatur, vt ea quæ excellunt, ſeruentur etiam ad perorandum: ſi quæ erunt mediocria (nam vitioſis nunquam eſſe oportet locum) in mediam turbam, atq; in gregem conijciantur. Hæc diſpoſitio locorum, tanquam inſtructio militum, facillime in dicendo, ſicut illa in pugnando parere victoriam poterit. Libr. 2. de orat. pagi. 215. b. Ad Herẽ. lib. 3. pagi. 30.

De

De Argumentatione, & eius partibus. Cap. XVI.

Libr. 2. de orat. pagi. 195.



Voniam videmus nequaquam ſatis eſſe reperire quid dicas, niſi id inuentũ tractare poſsis; iccirco rebus inuentis adhibenda erit argumentorum tractatio, quæ quidem varia eſſe debet, ne aut cognoſcat autem qui audit, aut defatigetur ſimilitudinis ſatietate.

Conſequens igitur eſt, vt explicetur quemadmodum ipſas argumentationes ornate, & abſolute tractare conueniat, quod ſit argumentatione, quæ nihil aliud eſt quam argumenti artificioſa expoſitio.

In part. 365. lib. 1. de inuẽ. pagi. 89.

Cuius quattuor ſunt præcipuæ partes. Ratiocinatio, Enthymema, Inductio, & Exemplum, ad quas ceteræ omnes argumentationes referuntur.

Ariſt. li. 1. Topic. c. 1. Libr. 1. de inuen. pag. 84. b. Quinct. li. 5. cap. 4. Ariſt. li. 1. Topi. c. 10. & 2 prior. cap. 23. Idem li. 1. Rhet. ca. 6. & libr. 2. prior. c. 27. Idem li. 2. prior. c. 24.

Ratiocinatio eſt ex duabus poſitis ac firmatis propoſitionibus, aliud atque expoſitum eſt, vi ſua eliciens argumentatio.

Inductio eſt à plurium partium, vel ſingularum rerum ſimilitudine ad aliquid vniuerſum, communeve confirmandum progreſsio.

Enthymema, ſeu latine commentatio imperfectus eſt ſyllogiſmus, cui altera deeſt propoſitio, quæ facile intelligi poteſt; quo cum ſæpe epenthymema coniungitur.

Exemplum eſt imperfecta inductio, in qua aliquid ſingulare vnum ex altero, vel perpaucis ſimilibus ob mutuam, quæ in eis reperitur ſimilitudinem, confirmatur.

Quot,

Quot, & quæ sint ratiocinationis partes. Cap. XVII.



Rgo absolutißima, & perfectissima est ipsa ratiocinatio, & epicherema, à qua ceteræ omnes argumentationis formæ proficiscuntur, & ad eam perfectissimam referri possunt. Ad Here. lib. 2. pagi. 16. b.

Hæc tribus constat necessarijs partibus, propositione, assumptione, & complexione: vt autem Oratores eam non tenuiter, & ieiune more Dialecticorum, sed copiosissime atque ornatissime expoliunt, plures etiam in partes (si modo ratiocinationis partes sunt appellendæ) distribui potest: ac potißimum in propositionis rationem, assumptionisq, approbationem, ex quibus quinquepartita fit ratiocinatio. Quinct. li. 5. cap. 4. Libr. 1. de inuet. pag. 85. & 87.

Propositio est, per quam breuiter locus is exponitur, ex quo omnis vis oportet emanet ratiocinationis. Eius probatio est, per quam id, quod breuiter expositum est rationibus firmatum, probabilius, & apertius fit. Aßumptio, per quam id, quod ex propositione ad ostendendum pertinet, assumitur. Assumptionis exornatio, per quam id, quod assumptum est, rationibus firmatur. Complexio, per qum id, quod conficitur ex omni argumentatione, breuiter exponitur. Nunc pergamus ad confutationem, cum enim tua confirmaris, sequitur vt aliena destruas.

De confutatione. Cap. XVIII.



Onfutatio est per quam argumentando aduersariorum confirmatio diluitur, aut infirmatur, aut eleuatur. Libr. 1. de inuent. pagi. 89. b. Ad Here. lib. 1. ca. 2.

Quinct. li. 5. capi. 7. *Quæ quidem longe confirmatione difficilior est: quoniam accusatoris probatio simplex est atq; directa: multiplex autem & varia contrariorum locorum dissolutio, patronusque inopinatis frequentius occurrit.*

Nec propterea confutatio ita propria defensoris existimanda est, vt etiam accusatori conuenire non possit: qui in deliberationibus præcipue, & in Iudicijs contraria dissoluit.

Arist. li. 3. Rhet. c. 19. *Sed hoc interest, quoniam qui priore loco dicit, sua primum confirmat, tum aliena diluit: qui vero agit posterius, contra.*

Idem. *Ea vero conficitur, & per demonstrationem, cum argumentando contrarium probatur, & per reprehensionem, refellendo aduersarij firmamenta.*

De inuen. libr. 1. Quinct. *Sed vtriusque similis condicio est, vtitur enim fonte hæc inuentionis eodem, quo vtitur confirmatio. Quare inuentionem, & argumentorum expolitionem ex illis, quæ ante præcipiuntur, hanc quoq; in partem transferri oportebit.*

De peroratione. Cap. XIX.



Ad Herē. lib. 1. pagi. 2. Libr. 1. de inuen. pagi. 94. b. Arist. li. 3. cap. 21. *PEroratio est artificiosus terminus orationis memoriam reficiens auditoris, & animum commouens.*

Huius tria sunt munera: vnum, quod primum ac præcipuum est, renouare memoriam: alterum mouere affectus: tertium vero efficere, vt auditor de nobis bene sentiat, de aduersarijs male.

In part. pagi. 366. *Ex eo peroratio diuisa est in duas partes, in amplificationem, & enumerationem. Augendi autem, & hic est proprius locus in perorando, & in ipso quoque orationis cursu*

cursu declinationes ad amplificandum dantur, confirmata re aliqua, aut reprehensa; sed hic liberius concitari possunt affectus omnes, & totos eloquentiæ licet aperire fontes. Quinct. li. 6. capi. 1.

Amplificatio duas habet partes, indignationem, & cõquæstionem. Indignatio, est oratio, per quam conficitur, ut in aliquem hominem magnum odium, aut in rem grauis offensio concitetur: Conquæstio, est oratio auditorum misericordiam captas. Commotis autem animis, diutius in conquæstione morari non oportebit; Etenim lacryma nihil citius arescit. Libr. 1. de inuen. pagi. 95. 96. b. & 97. b. Apolloni°.

Enumeratio reliqua est, per quam res disperse, & diffuse dictæ, vnum in locum cogũtur, & reminiscendi caussa, vnum sub aspectum subijciuntur; quæ, nonnunquã laudatori, cum longius oratio processerit, suasori non sæpe, accusatori sæpius quam reo necessaria est. Libr. 1. de inuent. pagi. 94. b. In part. pagi. 367.

Huius ipsa tempora duo sunt, si, aut memoriæ diffidas auditorum, vel interuallo temporis, vel longitudine orationis, aut frequentatis firmamentis orationis, & breuiter expositis, vim est habitura caussa maiorem.

Repetitio autem, non sit totius orationis, sed eorum duntaxat, quæ dicta sunt in confirmatione, & confutatione: quæ quam breuissime dicenda erunt, & quod græco verbo τοῦ ἐπιλόγου *patet, decurrendum per capita: nam si morabimur, non tam enumeratio, quam altera quasi fiet oratio.* Quinct. Arist.

Quæ autem enumeranda videntur, cum pondere aliquo dicenda sunt, & apertis excitanda sententijs, figurisq; varianda, alioquin nihil est odiosius recta illa repetitione, velut memoriæ, iudicum diffidentis. Et semper, si enumeratio eodem modo tractabitur, perspicue ab omnibus artificio quodam tractari intelligetur: sin autem va- Quinct. Libr. 1. de inuen.

rie fiet, & hanc suspicionem, et satietatem vitare poterit. cauendum est etiam in enumeratione, ne ostentatio memoriæ suscepta videatur puerilis. In part.

Quinct. *Hæc uero pars orationis accusatori atq; patrono æque communis est: vtitur n. vterq; affectibus fere ijsdem, sed rarius hic, ille sæpius, ac magis: nam huic concitare Iudices, illi flectere conuenit. Nunc quoniam de constitutionibus, tribus generibus orationis, & de ijs, quæ pertinent ad inuentionem, ac dispositionem dictum est: sequitur ut de elocutione, tertia Rhetoricæ parte disseramus.*

Finis Libri Tertij.



M. AN-

M. ANTONII BRAGADENI, PATRITII VENETI,

DE ARTE ORATORIA

Liber Quartus.

DE ELOCVTIONE.

Quid sit Elocutio, & quę uis eius ad persuadendum. Cap. I.





AD omnem inueniendi, ac disponendi rationē admirabilis elocutionis uis est adhibēda, ex qua summam eam laudem excipit, nomenq; ipsum inuenit eloquentia: ut res accute inuētæ, sapienterq; distributæ, postea orationis quasi coloribus exornatæ, ac verborum & sententiarum luminibus illustratæ, facile in auditorum animos se se insinuent, & aptæ sint ad persuadendum, hoc enim præstat orationis ipsa conformatio, quæ facultas est, qua verborum, & sententiarum luminibus inuenta conformantur. Libr. 2. de orat. pagi. 223.

Neq; res ulla quidem plus ea valet ad bene dicendum & ad excitandam auditorum assensionem, atque admi-

ratione. Ornata enim ac perpolita oratio, cum plurimum sua pulchritudine, ac suauitate populares cœtus delectat, qui nudis ac inornatis in rebus valde morosi sunt, ac male affecti; tum grauibus cum est referta sententijs, ac veluti aculeis quibusdam dulci atq; decocta dicendi suauitate conditis, multo aptior est ad persuadendum.

Arist. li. 3. Rhet. c. 1.

Benedicere, est optimis sententijs, verbisq; lectissimis dicere, quod eloquentiæ ita proprium est atque infixum, vt Orator primum sine hac virtute suum nomen cum dignitate obtinere non possit; post ipsa dicendi facultas per eam potissimum a ceteris artibus sescernatur.

In orat. pagi. 342. b.

Neque .n. hoc orationis lumen cum poetica est ei omnino commune, quoniam huius ab illa uaria est, atque diuersa ornandæ ac poliendæ orationis ratio.

Arist. li. 3. Rhet. c. 2.

Hæc itaque pars, qua omnis admiratio ingenij, & omnis laus eloquentiæ continetur, valde colenda est, atque exercenda. Hæc maxime docetur arte: hoc nullus nisi arte aßequi potest: huc studium adhibendum: hoc exercitatio petit: hoc imitatio, hic omnis ætas consumitur: hoc maxime Orator Oratore præstantior.

Quinct. li. 8. in proœ.

Quæ in elocutione spectentur. Cap. II.



Vattuor sunt præcipue in elocutione spectandæ virtutes, vt latine, ut perspicue, vt ornate, vt ad id quodcunque agatur, apte congruenterque dicamus.

Libr. 3. de orat. pag. 228. b. De orat. 1. pa. 151. b. Arist. & Quinct.

Latinitas, seu elegantia, est emendata dicendi locutio, quæ scriptorum auctoritate, & consuetudine nititur. Compositio seu perspicuitas, est dilucida, apta, & concinna uerborum constructio, qua æquabiliter fluit

Ad Heren. lib. 4. pagi. 43.

fluit oratio Ornatus, est quidam orationis splendor, seu color, & conformatio, qua digna, & grata oratio redditur varietate. Decorum, orationis est moderatio, ac temperantia quædam rerum, & personarum dignitati accommodata.

Sed puri dilucidique sermonis ratio traditur literis, doctrinaque puerili: quæ quidem ratio cognitionem habet facilem, vsum necessarium, est. n. solum, ac fundamentum Oratoris latina, & emendata locutio. Libr. 3. de orat. In Brut. pagi. 294. Arist. li. 3. Rhet. ca. 7.

Duæ igitur explicandæ partes, illustrandæ orationis, ac totius eloquentiæ cumulandæ, quarum altera dici postulat ornate, altera apte, hanc habent vim, vt sit oratio quam maxime iucunda, quam maxime in sensus eorum, qui audiunt, influat, & quam plurimis sit rebus instructa. De orat. 3. pa. 236. b.

De ornatu orationis. Cap. III.



Ratio, primum verborum & sententiarum luminibus, postea dicendi genere, & quasi colore quodam, & succo suo ornatur, atque amplificatur. Verum huiusmodi ornatus nõ est singulorum articulorum, sed in toto spectatur corpore. Ornamentum autem illud, quo cõspergitur oratio quasi uerborum, sententiarumque floribus, non debet esse æquabiliter fusum per omnem orationem, sed ita distinctum, ut sint quasi in ornatu disposita quædam insignia, & lumina. In Brut. pa. 276. b. Libr. 3. de orat. pagi. 237.

Genus igitur dicendi est eligendum, quod maxime teneat eos, qui audiunt, & quod non solum delectet, sed etiã sine satietate delectet.

Orationis autem ornatus esse debet non leuis, non redundans, aut foris ascitus, sed grauis & moderatus, Quinct. li. 8. c. 3.

tus, vt orationi innatus esse videatur.

Lib. 3. de orat. pagi. 238. & 241. & 2. de orat. pagi. 191. *Verum solicitudo sit rerum, cura verborum. Quare primum sylua rerum ac sententiarum est comparanda: etenim ex rerum cognitione efflorescat, & redundet oportet oratio, hæc deinde formanda filo ipso, & genere orationis, illuminanda verbis, & varianda sententijs.*

Libr. 3. de orat. pagi. 244. b *Omnis autem oratio conficitur ex verbis: quorum primum nobis ratio simpliciter videnda est: deinde coniuncte: Nam est quidam ornatus orationis, qui ex singulis uerbis est: alius, qui ex continuatis: coniunctisq; constat, spectatur deinde orationis ornatus in tota orationis compositione, & denique in sententiarum rerumque amplificatione atque expolitione.*

De verbis simplicibus. Cap. IIII.

Libr. 3. de orat. In part. pag. 361.



Erba simplicia, sunt alia propria, & natiua, quæ significata sunt primo sensu, & quæ videntur res peperisse: alia translata, quæ per similitudinem a propria vnius significatione, ad aliud demõstrãdum, aut suauitatis, aut inopiæ caussa transferuntur.

In orat. pagi. 319. *Ex proprijs, quædam sumit Orator ad exornandam orationem, quædam reijcit, quòd puritatem Romani sermonis & elocutionis oratoriæ vim tollant: vt sunt Inusitata, Noua, Prisca, Sordida, vel humiliora, Peregrina, Nimis rara, Turpia, Dura, & Poetica.*

Libr. 3. de orat. pagi. 245. In part. pagi. 361. *Verba, quæ affert Orator ad exornandam atque illuminandam orationem, quorum delectus esse debet, natura sunt alia consonãtiora, grandiora, leuiora, & quodam modo nitidiora, quibus etiam honestiora continentur; alia contra.*

De verbis figuratis. Cap. V.


Igura, est conformatio quædam orationis a communi, & primum se offerente ratione: Cuius tria sunt genera, sunt enim figuræ quædam grammaticæ, quæ noua quadam orationis construendæ forma cõtinentur: quædam oratoriæ, quæ in orationis exornatione, & amplificatione versantur: quædã postremo poeticæ, quæ insignita perpolitione versum illustrant, solutam autem orationem deformant. Quinct. li. 9. in proœ.

Figuræ oratoriæ, aliæ sunt in verbis, aliæ in sentẽtijs, atque hæ, vel orationem exornant, vel amplificant: Illæ, aut in proprijs, aut in translatis versantur: translata vero vocabula tropis transferuntur. Quare, cum de simplicibus ac proprijs verbis dixerimus, sequitur ut tropi vim atque naturam explicemus.

De tropis. Cap. VI.


Ropus, id est, modus locutionis, est verbi, vel sermonis a propria significatione in aliam similem, aut uicinam, cum quadam venustate mutatio, necessitatis, ornatus, vel honestatis caussa translata, cuius vis omnis in verbis transferendis versatur. Quinct. li. 8. cap. ult. Libr. 3. de orat. Hermo. li. 4. de inuẽ. cap. 10.

Tropi in duas partes sunt distributi: nonnulli enim in dictione, idest in verbi vnius sola mutatione versantur: nõnulli vero in oratione, hoc est in plurimum verborum, aut sententiæ commutatione, de quibus nihil est, cur modo priuatim dicamus. Quapropter ad orationis schemata accedemus.

De

De Schematibus orationis. Cap. VII.



Chema, est figura quasi motum, gestum, magnitudinemque præbens orationi, nulla vocum mutatione facta, quæ dat orationi varios veluti vultus, gaudet enim res varietate, & sicuti orationis pronunciatio, sine gestuum varietate et concinnitate ingrata, & quasi mortua existit; ita & oratio, ni schematum vicissitudine & cõmutatione, quæ sunt habitus quidam & gestus orationis, fuerit distincta atq; illuminata, frigida fiet & langués, omnemque suauitatem & motum amittet.

In orat. pagi. 319. Quinct. li. 9. in proœ.

Quare, cum gestus ij, & quasi lumina orationis ex varia animi affectione originem ducant, omnibus perfectus Orator, quibus homines varijs animi commotionibus affecti, immutantur formis, orationem conformabit, & ad eas mentis immutationes similem prorsus orationem effinget, parique ratione suas animi affectiones exprimet.

Iis enim fiet ornata, apta rebus & personis, morataque oratio: quæ vim, acrimoniamque rebus adijciet, auditores erudiet, capiet, tenebitque suauitate, eorumque mentes varie tractabit, ac flectet.

Quinct. li. 9. in proœ. In orat.

Sicuti autem omnem orationem, ita figuras quoque versari necesse est in sensu, & verbis. Itaque duo sunt schematum genera: vnum dictionis exornationum, quæ verborum structura quadam, ipsiusque, sermonis insignita continentur perpolitione, qua immutata, figura tollitur: alterũ sententiarũ, quod non in verbis, sed in ipsis rebus quandam, & quidem maiorem habet dignitatem, cuius luminibus præcipua quadam ratione habitus orationis immutatur: Huic subijcitur aliud genus sententiarum

Ad Herẽ. lib. 4. pagi. 44. b.

In orat. pagi. 327.

tiarum cõformationum, quæ orationis corpus rebus ipsis exornant, augent, & amplificant.

Hæ autem orationis exornationes, si raræ disponentur, distinctam sicuti coloribus, si crebræ collocabuntur, fuco et pigmentis oblitam reddent orationem. Quare parcus & mediocris, & ut res ipsa postulat, earum sit usus, eæque varie commutentur, vt satietas varietate vitetur. Auctor ad Heren.

Atque luminibus ijs tota illustratur orationis structura. Nunc, vt proposuimus, aliquid breuiter de verborum & sententiarum amplificatione dicamus.

De Rerum, & verborum copia. Cap. VIII.



Opia, est facultas quædam, qua alijs, atque alijs verbis effertur varijsque figuris & argumentis eadem amplificatur sententia. Quinct. li. 10.

Ea duplex est, verborum, & sententiarum. Copia verborũ, est multiplex exornatio verborum, qua sola oratio, eadem manente sententia, variatur. Copia rerum, est sententiarum amplificatio, qua dilatatur argumentum, & ipsum augetur corpus orationis.

Illa paratur literis doctrinaq; puerili, augetur legendis obseruandisque optimis Oratoribus, & Poetis, & accurata schematum expolitur cognitione, & confirmatur consuetudine sermonis quotidiani, & stylo ipso orationis exercitato, optimo ac præstantissimo dicendi effectore atque magistro. Hæc vero ex illis inueniendi locis frequenti vsu & exercitatione tractatis, atque expeditis eruitur, uarieque amplificatur eorũ tractatione ac ubertate. Libro 1. de orat. pagi. 152. b.

Vtriusque vero varij sunt modi expoliendi, amplifi-

cãdiq; formæ, quibus in præsentia nobis superſedẽdũ eſt.

In orat.pa gi.327.b. Sed ut ſchemata ſuperiora, ita & hæ orationis expolitiones ac ornamenta, niſi collocata ſint, & quaſi ſtructa, & nexa verbis, ad ſummam eam laudem ſplendoris & concinnitatis aſpirare non poſſunt. Quamobrem de ipſa verborum æquabiliter perpolita conſtructione aliquid adijciamus.

De coniunctionis, verborumque conſecutionis ornatu. Cap. IX.

Libro 3.de orat. pagi. 248.



Equitur modo coniunctorum ornatus, cõtinuatioque verborum, quæ duas res maxime collocationem primum, deinde modum quendam, formamque deſiderat.

Compoſitio, eſt totius ſententiæ perfectio & conſecutio, quæ verbis abſoluitur, idque, vel inciſim, vel membratim, vel circumſcripte. Eius eſt cõponere & ſtruere verba ſic, ut neue aſper eorũ concurſus, neue hiulcus ſit, ſed quodammodo coagmentatus & lenis. Quare optima erit compoſitio, ſi vinctam orationem efficiet, ſi coherentem, ſi lenem, ſi æquabiliter fluentem.

Libro 1.de orat. pagi. 352.b. Conſtat autẽ ordine, & coniunctione, quæ duo bene tractata clamores, admirationeſq; in bonis Oratoribus efficiunt. Ordo eſt diſpoſitio quædam, qua verba uno, vel altero modo inter ſe collocata, orationem fluentem, ac numeroſam efficiunt: neglecta autem diſſipatam, vaſtam, ac diſſolutam: quædam etiam fiunt ordine permutato, ſuperuacanea. Illud autem in ſingulorũ verborũ connexione cauẽdũ eſt, ne decreſcat oratio, ſed augeatur, atq; inſurgat.

Quinct. li. 9.cap.3.

Libro 3.de orat. Coniunctio verborum debet eſſe concinna & elegans; quod aſſequemur, ſi uerba extrema cum conſequen-

tibus

tibus primis, ita iungemus: vt neue aspere concurrant, ne ue uastius diducantur. Sed minuta omnis diligentia, & nimia in aptãdis verbis sollicitudo prætermittenda est: id enim si operose fieret, esset cum infinitus, tum puerilis labor; sed tamen stylus exercitatus efficiet facilem hanc viam, auriumque iudicium. In orat. pagi. 329.

Est autem compositio custodienda, non modo in singulorum verborum, sed etiam syllabarum, elementorumque consecutione, & ordine, vt ea suauiter, aspere vel leniter pro sententiarum, generumque dicendi varietate concurrant.

De Incisis, Membris, & Periodis. Cap. X.



Onnexa igitur series, tres habet formas: Incisa quæ κόμματα dicuntur: Membra, quæ κῶλα: Περίοδον, quæ ambitus, circuitus, & circumscriptio nũcupatur, quæ omnia ex singulorum verborum collocatione consurgunt. Quinst. li. 9. c. 3. In orat. pagi. 338. b. 339. b. & 341. b.

Incisum, est sensus non expleto numero conclusus: plerisq; pars membri. Membrum autem, est sensus numeris conclusus, sed a toto corpore abruptus, & per se nihil efficiens. Periodus est, cum ab initio ad finem vsque in orbem inclusa fertur oratio, donec consistat in singulis, perfectis, absolutisque sententijs. Vel aliter, est totius argumenti vrgens conuersio, & quædam veluti clauis, quæ sententiam ab initio aperit, & in vnum circumfert argumentum, ac circulo quodam claudit ad extremum inclusam. Quinct. li. 9. c. 3. in fi. In orat. pagi. 339. Arist. li. 3. Rhet. c. 11. Hermog. li. 4. de Inuen. cap. 3. De period.

Dispertitur autem comprehensio in ambitum, & spiritum: Ambitus, est totius conclusionis breuis quædam cir- Idem.

Idem li. 4. de Inuen. cap. 4. de spir.

cumscriptio: Spiritus vero, est verborum comprehēsio sententiam membris & incisis dimensam absoluens, pro spiritu & viribus Oratoris, qui voce illius perficitur, qui quidem varias formas, & habitus, & varios veluti vultus habere debet.

Atque breuiter hæc dicta sint de collocatione. Nunc de modo ac forma verborum, altera compositionis parte dicamus.

De Numero. Cap. XI.

Libr. 3. de orat. pagi. 248.



Am ipsam diligentiam componendi subsequitur modus etiam & forma verborū, hoc est, numerus orationis, quo mirum in modum afficiuntur aures, & hominū capiuntur animi. Nihil est enim tam cognatum mentibus nostris, quam numeri, atq; voces, quibus & excitamur, & incendimur, & lenimur, & languescimus, et ad hilaritatem, & ad tristitiā sæpe diducimur.

Eod. li. pagi. 252.

Quorum illa summa uis carminibus aptior est: et eadē vis adeo cantibus inest ad permulcendos animos, ob interpositos Musicæ numeros, vt ad fidium concentuumque sonum, pro numerorum varietate, varij quoq; in nobis excitentur affectus.

Quinct. li. 9. cap. 3.

Neque id quidem reperitur duntaxat in poesi & cantu; sed etiam in soluta oratione vim habet maximam ad auditorum animos deliniendos, ac permouendos.

Libr. 3. de orat.

Neque enim audiendi sunt ij, qui tam agrestibus & impolitis sunt auribus, vt nullum in oratione numerū in esse uelint: Esse autem in oratione numerum quendā, non est difficile cognoscere: iudicat. n. sensus, in quo iniquum est quod accidit non agnoscere, si cur id accidat reperire nequea-

Quinct.

In orat. pagi. 335.

quea-

queamus, neq; enim ipse versus ratione est cognitus, sed natura atq; sensu, quē dimensa ratio docuit, q acciderit.

Oratori necessariam esse numerosam orationem. Cap. XII.



Voniam vero perfectus Orator non voluntatibus solum & cogitationibus auditorum, sed auribus etiam regitur; ei moderatio quædam orationis, & apta numerosaque verborũ conclusio necessaria est: ut & tam graue nomen tueri, & mentes non modo auditorum, sed etiam aures afficere, ac explere possit. Arist. li. 3. Rhet. c. 10

Quoniam igitur rerũ verborumq; iudicium prudentiæ est, vocum autem & numerorũ aures sunt iudices: & quod illa ad intelligentiam referuntur, hæc ad voluptatem, in illis ratio inuenit, in his sensus artem. Quare, aut negligenda est Oratori eorum voluptas, quibus probari vult, aut ars eius conciliandæ reperienda. Hoc autem maxime oratorio conficitur numero, qui aptã & concinnam & suauem efficit orationem. In orat. pagi. 331. b.

Vt enim in plerisque rebus incredibiliter hoc natura est ipsa fabricata, vt ea, quæ maximam vtilitatem in se continerent, eadem haberent plurimũ, vel dignitatis, vel sæpe etiam venustatis; sic etiam in omnibus hoc item partibus orationis euenit, vt vtilitatem, ac prope necessitatẽ suauitas quædã ac lepos consequatur. Clausulas enim atque interpuncta verborum, animæ interclusio, atque angustiæ spiritus attulerunt, quod deinde inuentum est ita suaue, vt nisi in orbem veluti inclusa feratur oratio, in quadrumque redacta ad extremum ipsa consistat, ac con- Libr. 3. de orat. pagi. 249. Ibidem. pag. 249. b

concinnitate moduletur animos, eam teretes, & religiosæ hominum aures repudient, ac respuant.

Libr. 3. de orat. pagi. 248. b. *Neq; res tam difficilis est, quam necessaria: nihil est enim tam tenerum, neque tam flexibile, neq; quod tam facile sequatur quocunque ducas, quam oratio; ex hac versus, ex eadem dispares numeri conficiuntur: ex hac etiam soluta varijs modis, multorumq; generum oratio. Itaque non est, cur tantum hoc munus arduum existimemus, vt aliqua adhibita diligentia, atq; etiam studio, sibi quisque hanc vim numerose dicendi comparare non poßit.*

Ibidem. *Neq; est ex multis res vna, quæ magis Oratorem ab imperito dicendi, ignaroq; distinguat, quam, quod ille rudis incondite fundit quantum potest, & id quod dicit, spiritu, non arte determinat; Orator autem sic illigat sententiam verbis, vt eam numero quodam complectatur, & astricto, & soluto.*

In orat. pagi. 344. *Sed tamen composite apteq; sine sententijs dicere, insania est: sententiose autem sine verborum ordine & modo, infantia: sed huiusmodi tamen infantia, ut eã, qui vtũtur, non stulti homines haberi poßint, etiam plerunque prudentes. Eloquens vero, qui non approbationes solum, sed admirationes, clamores, plausus silicet mouere debet, omnibus oportet ita rebus excellat, vt ei turpe sit quicquam aut spectari, aut audiri libentius.*

De origine orationis numerosæ, & quid sit numerus Oratorius. Cap. XIII.

In orat. pagi. 334. & 313. Libr. 3. de orat. pag. 248. b. In orat.



Vius autem aptæ verborum, & numerosæ conclusionis auctor, & princeps fuit Trasymachus, cuius omnia nimis erant scripta numerose. Veruntamen, quoniam nemo in eo concinnitatis genere scientius, & moderatius Isocrate versatus

ſatus eſt, ipſe primus eam concinnam, & numeroſam compoſitionem inſtituiſſe creditur à pleriſque, vt inconditam antiquorum dicendi conſuetudinem delectationis, atq; aurium cauſſa numeris aſtringeret. In Brut. pa. 361. b.

Cum enim videret Oratores, apud quos nundum erat numerus orationis cognitus, cum ſeueritate audiri; poetas autem cum voluptate, tunc dicitur numeros ſecutus, quibus etiam vteremur, cum iucunditatis cauſſa, tum, vt varietas occurreret ſatietati.

Romani uero, Ciceronis fere tempore, hunc numerum orationis agnouerunt, cuius non ſolum ipſe diligens fuit obſeruator, ſed optimus etiam magiſter. In orat. pagi. 333. Libr. 3. de orat. pagi. 252.

Sed, quanam ratione numeroſa oratio inuenta ſit, facilis, & aperta eſt ratio. Cum enim fortuito ſæpe, vt fit, aliquid concluſe, apteq; initio diceretur, animos hominũ aureſque pellebat, vt intelligi poſſet id, quod caſus effudiſſet, cecidiſſe iucunde: tunc illius numerorum iucunditatis notatum eſt genus: Ita notatio naturæ atque animaduerſio peperit artem. In orat. pagi. 334. b. & 338. b. In orat. pagi. 335. b.

Id autem primum à poetis in ipſa verſus inuentione aurium terminatione fuit obſeruatum. Ibid. pagi. 316. b.

Poſtea vero, duo hæc, vocis moderatio, & apta verborum concluſio, quoad orationis ſeueritas pati poſsit, à poetica fuerunt ad eloquentiam traducta. Libr. 3. de orat. pagi. 248. b.

Sed tamen numerus Oratoris valde diſtat à poetico ſanctiſsima, religioſiſsimaque lege aſtricto: vitiumque vel maximum eſt, verſus in oratione ſi efficitur coniunctione verborum: & tamen eam coniunctionem ſicuti verſum numeroſe cadere, & quadrare, & perfici deſideratur. Ariſt. li. 3. Rhet. capi. 10.

Eſt autem numerus oratorius, concentus quidam orationis, pedibus ſolutis, liberioribuſque dimenſus, qui ſententiam pro rebus, atque perſonis varie, & ad perſuaden-

suadendum apte, verbis claudit astrictam.

Eam enim numerorum iucunditatem, intelligendũ est personarum affectibus, & rerum varietate distingui, varieque concludi; ita vt sententia, & ambitus orationis interdum numero incidenti, acuto, celeri, & incitato: interdum remisso, tardo, proceri, & interrupto: interdum vero leni, & iucundo: interdum duro, & aspero in fine potißimum cadat.

Aliud enim numerorum genus iracundia postulat, aliud miseratio, aliud metus, aliud vis, aliud voluptas, aliud molestia sine commiseratione, & huiusmodi alia. In orat. pagi. 333. & 335. b. *Itaq; numerus hic orationis nihil affert aliud, nisi vt sit apte verbis comprehensa sententia, & concinnitate quadam formet, & condiat orationem. Quod, qua ratione fieri debeat, explicare, huius negotij susceptio vetat.*

Cur numerosa oratio fuerit inuenta. Cap. XIV.

In orat. pagi. 334. Libr. 3. de orat. pagi. 250. b.



Voniam aptæ orationis origo inuenta est, modo caußa quæratur. Nihil autẽ aliud caußæ fuit, cur rudis, & indocta sine interuallis loquacitas, perennis, ac profluẽs ab auribus repudiaretur, nisi quod hominum aures vocem naturæ modulantur ipsæ, & si est peccatum, vel si quid in oratione claudicat, sentiunt ac respuunt. In orat. pagi. 334. b. In Brut. pa. 261. b. *Aures enim, vel animus potius, aurium nũcio, naturalem quandam in se continet vocum omnium mensionem. Itaque & longiora, & breuiora iudicat, & perfecta, ac moderata semper expectat. Mutilia sentit quædam, & quasi decurata, quibus, tanquam debito fraudetur, offenditur. Productiora alia notat, &*

quasi

quasi immoderatius excurrentia; quæ magis etiam asper natur.

Modulari autem oratio explereq; hominum aures, nisi inest numerus in voce, non potest. Vt igitur poetica, & versus inuentus est terminatione aurium, obseruatione prudentum: sic in oratione animaduersum est, multo illud quidem serius, sed eadem natura admonente, esse quosdam certos cursus conclusionesque verborum, quæ maxime permulceant aures, & animum reficiant, ac moueãt. Libr. 3. de orat. pagi. 250. b. In orat. In orat. pagi. 331. b. Libr. 3. de orat. pagi. 251. b.

Quoniam de ornatu omni orationis, si non sunt omnes patefacti, & explicati, at certe comonstrati loci; nunc quid aptum sit, hoc est, quod maxime deceat in oratione videamus.

De apte congruenterque dicendi formis. Cap. XV.



Vperest modo, vt de apto dicendi genere, quod postremum inter laudes ac virtutes elocutionis propositum fuit, pro instituto nostro verba faciamus. Apte igitur dicet Orator, si in dicendo decorum, rerumque dignitatem seruauerit, ac omnibus in rebus ita moderabitur prudenterque diriget orationem, vt ea rebus ipsis, personis, locis, atque temporibus apte consentiat. Arist. li. 3. Rhet. ca. 9.

Qua in re multum iudicij, summæ etiam Oratoris prudentiæ desideratur. Vt enim in vita, sic in oratione, nihil est difficilius, quam quid deceat videre. Quod, qui mente & cogitatione cernit, & cunctis in rebus, vna cum ceteris partibus elocutionis assequitur, is erit, auctore Tullio, summa eloquentiæ laude cumulatus Orator. In orat. pagi. 317.

Neque enim alius est, quem homines stupefacti dicen Lib. 3. de orat. pagi. 231.

tem intueantur, in quo exsclament, quem Deum, vt ita dicam, inter homines putent, nisi qui distincte, qui explicate, qui abundanter, qui illuminate, & rebus, & verbis dicit: & ipsa oratione quasi numerum quendam conficit: quique orationem ita moderatur, vt rerum, vt personarum dignitates ferunt.

Quare, vt Orator in eo genere laudandus sit, quod aptum, congruensque nominatur, characteres, & orationis ideæ sunt ei cognoscendæ, & omnino animo effingendæ; de quarum vi, ac natura deinceps disseremus.

Finis Libri Quarti.



M. ANTONII BRAGADENI, PATRITII VENETI, DE ARTE ORATORIA

Liber Quinctus.

DE ORATIONIS IDEIS:

Ac primum de earum vtilitate, atque necessitate. Cap. I.





VONIAM duo sunt in nobis munera diuino beneficio concessa, ratio, & imago rationis sermo: quorum alterũ mentis agitatione cuncta inuestigat, & varie ob diuersas rerum varietates perceptas afficitur: alterum ea tam varia, quæ latent inclusa penitus in animis nostris, patefacit atque enunciat: hinc fit, vt humanæ mentis comes & interpres oratio, ad eas res varias apposite exprimendas, non vno eodemque tenore vtatur, atque dicendi genere.

Omnis enim animi motus suum quendam habet à natura sonum, gestum, & genus orationis, cuius, quot sunt

animi affectus, tot formæ & commutationes esse debent: quæ arte, ac summa moderatione tractandæ, ac variandæ sunt.

Cuius etiam varietatis natura semina quædam hominibus cunctis inseruit. Nam ij (sicuti constat) quemadmodum rebus afficiuntur, & animi commotionibus immutantur, ita in varias dicendi formas orationem conuertunt.

Quare, cum perfecti sit Oratoris multiplices ac varios humanæ mentis affectus & sensa varie, & hominum mentibus accommodate exprimere, eiusque præcipuum munus sit ad id, quodcunque agatur apte, congruēterque dicere; ei profecto quandam pro rebus, atque personis variandæ orationis mentis interpretis formam cognoscere, & id omne quod in quaque re deceat, maxime necessarium existimare debemus: siquidem ijs neglectis inanis, & fere puerilis est totius orationis ornatus. Nam, cum is varius & multiplex sit, nisi fuerit accommodatus rebus atque personis, non modo non illustrabit orationem, sed etiam destruet, & vim rerum in contrarium vertet.

Hermog. libr. 1. de form. ora. cap. 1.

Quinct. li. 11. ī proœ.

Hoc autem quod aptum sit, & quod maxime deceat, is poterit custodire, qui orationis ideam prius mente conceperit, & ad illius exemplar orationem effinget.

Id enim pictores, architecti, aurifices, ac denique summi artifices omnes seruare consueuerunt, qui cū aliquod egregium opus exquisitæ elegantiæ, summæque industriæ moliuntur, quodam prius exemplar & simulacrum animo comprehendunt: deinde ad eius speciem & similitudinem illud omnibus suis numeris absolutum perficiunt.

Sed omni in re posse quod deceat facere, artis & naturæ est: scire quid quandoque deceat, prudentiæ. Quoniam igitut ex ijs perspicuum est, Oratori necessarias esse

Libr. 3. de orat. pagi. 234.

orationis

orationis ideas, vt ea, quæ dicit rebus atque personis consentiant: nunc explicanda est ipsius orationis Ideæ vis atque natura.

Quid, & quot sint orationis Ideæ. Cap. II.



Dea, vel orationis forma, est genus dicendi sententia, tractatione, verbis, compositione, subiectis rebus, atque personis accommodatum: Vel aliter, est forma Oratoris mente concepta, cuius ad exẽplar absolutam, & ad persuadendum aptam efficit orationem.

Quoniam vero perspicuum est, nec varijs animi commotionibus, nec omni caussæ, nec auditori, neque personæ, neque tempori congruere vnum orationis genus: cũque oratio mollis sit, & tenera, & ita flexibilis, vt sequatur quocunque torqueas; propterea septem ab Hermogene ad id, quodcunque agatur, apte congruenterque dicendum, numerantur orationis formæ, Claritas, Magnitudo, Pulchritudo, Celeritas, Mos, Veritas, & Eloquẽs aptumque dicendi genus. Libr. 3. de orat. In orat. pagi. 335. Libro 1. de for. ora. capi. 1.

Quibus efficitur, vt claritate, & perspicuitate aperta statim in animum auditoris influat oratio: magnitudine aures impleat: pulchritudine non calamistris fucata, sed sanguine, & succo suo ornata, auditorem oblectet; repellatque ab eo celeritate fastidium: Oratori beneuolentiam ob suorum amabilium morum significationem conciliet, habeatque ipsa pondus ad probandum, & auctoritatem: sensu postea quodam & ratione dicendi, veraque Oratoris ipsius animi perturbatione, non solum intimas cordis affectiones non simulate effingat, sed etiã

conci-

concitato, efficaci, vehementique omnino dicendi genere, commode persuadeat, tum denique eloquenti aptaque omnium dicendi generum tractatione, congruentique vsu, ac veluti regula quadam ceteras omnes orationis formas moderetur atque conformet.

Verum nulla simplex earum forma in vna eademque oratione esse debet: sed vnam aut alteram semper cum ceteris ad id quodcunque agitur apte permisceri oportet. Non enim vnaquaeque harum forma à ceteris in dicendo separata facile inuenitur: sed considerantur quidem seorsum: connectuntur autem simul ad vnum orationis corpus efficiendum.

Hermog. *Quaelibet autem Idea octo veluti partibus continetur, Sententijs, Tractatione, Verbis, Exornationibus, Membris, Compositione, Clausula, & Numero. Quae quidem apposite simul inter se coniunctae, & copulatae vnam efficiunt orationis Ideam.*

In orat. pagi. 317. *Verum Marcus Tullius tria tantum posuit apte dicendi genera, Tenue, Sublime, & Temperatum.*

De Claritate. Cap. III.

Hermog. Libr. 1. de for. ora. capit. 1. & 2.



Laritas, quae inter ceteras dicendi formas praecipua est, in omnibus generibus ac partibus orationis fusa, veluti sanguis in corpore dispersus, reperiri debet.

Eius duae sunt partes, puritas, & perspicuitas: inter quas hoc interest, quod puritatis castum est genus dicendi, simplex, non perturbatum, non confusum, sed apertum, ac planum, rectaque casuum, & personarum conformatione, sententiarumque continuatione distinctum: perspicuitas vero eo spectat vt re-

bus

bus distinctis, ac planis intelligenter, & ordinate animum auditoris edoceat, ac memoriam iuuet. Eius enim vis omnis posita est in tractandæ sententiæ ratione, & quibusdam sententiarum ornamentis: quæ perspicuam & ordine distinctam orationem efficiant. De sententijs autem, & ceteris partibus, quibus omnis orationis forma conficitur, aliquid, vt ordo postulare videtur, omnino dicerem, nisi ab hoc instituti nostri ratio me omnino auocaret.

De Magnitudine. Cap. IIII.



Claram perspicuamque orationem consequitur magnitudo, vt aperta oratio, non minuta nimis, & concisa, vel redundãs, congruenti magnitudine, auditoris animum explere possit.

Ea vero, sex ijs continetur dicendi formis, Grauitate, Exaggerato dicendi genere, Asperitate, Splendore, Acrimonia, & Vigore. *Hermog. lib. 1. de dign. & magn. ora.*

Grauitas, est de rebus magnis ampla, & ornate cõstructa oratio. Asperitas amarum est dicendi genus, tum auribus ad audiendum accerbum, tum animo ad percipiendum ingratum, ob asperas in maiores inferiorum increpationes: quæ interdum etiam fit sine reprehensione. Acrimonia, est oratio vehemens, qua æquales, vel inferiores aperte carpimus. Illustre genus orationis dicitur id, quod non iuuenilem, vel nimis accuratam compositionem, sed maturam, & splendidam quandam cum dignitate coniunctam continet venustatem. *Idem capi. de Asperi.* *Idem cap. de splen.*

Vigor, est præcipua magnitudinis forma, quæ maximam vim habet ad augendum & confirmandum magnitudinis robur: habet enim ex ea, vt vegeta, fortis atque

robusta videatur oratio, & ne senili debilitate languescat. Conficitur autem ex tribus superioribus formis, asperitate, acrimonia, & splendore, quibus maxima dicendi hoc genus nectitur coniunctione atq; affinitate.

Sed ad eas omnes magnitudinis partes, quæ grandem orationem efficiunt, circumductum, accumulatum, exaggeratumque genus orationis adiungendum est, quod absolutionem magnitudinis, perfectionemque consumant. Est autem dicendi hæc forma, congeries, quæ multitudine rerum longius protrahit compositionem; cuius generis alia est ampla, alia temperata, alia tenuis circunducta oratio, quæ quidem puro simplicique sermoni maxime aduersatur.

De Pulchritudine. Cap. V.



E oratio, magno præstantique instructa corpore, videatur exanguis, arida, atq; deformis, ei pulchritudinem quandam inesse oportet: non meretricio fuco illitam, & calamistris, fucatique medicamentis candoris, & ruboris effeminatam, sed succo suo, & laudabili atque honesto colore ornatam: quæ venustas, & pulchritudo potissimum ex recta partium, & membrorum constitutione animi, vel corporis cernitur.

Maxime vero laudabilis est concinnitas, & omnium conuenientia partium in oratione morata. Sed quoddam natiuum est pulchritudinis genus, in omni laudabili oratione necessarium: quoddam vero comptum, & floridum præcipuis partibus orationis accommodatum.

De Velocitate. Cap. VI.



Randis, & venusta oratio, laudabilem consecuta formam, velocitatem quandam habere debet: quæ non lenta ac tarda, sed quadam celeritate in aures auditorum ingredi poßit, & fluens ac virili concitata velocitate incidere videatur. *Hermog. li. 2. de for. ora. cap. 1.*

Ei maxime aduersatur otiosum, remissumque dicendi genus; quo distincta, & interpuncta, interualla, moræ, respirationesque continentur.

De oratione morata. Cap. VII.



Orata oratio, cum apta est Oratori ad delectandum, tum ei maxime necessaria est ad persuadendum: maxime enim mouet ea, quæ motum aliquem miscet oratio, quæque significat Oratoris ipsius amabiles mores, simplicis, veri, ac suauis hominis indices. *Idem cap. de more.*

Sed Orator vtitur etiam dicendi hac forma ad imitādos, effingendosque aliorum mores, quibus auditores maxime oblectantur.

Quare character iste orationis, tunc optimus, maximeque laudabilis erit, cum subiectis rebus, atque personis idoneam, ac decentem tribuerimus orationem.

Quattuor autem eius sunt partes, Suauitas, Acrimonia, Simplex, & Modestus sermo. Simplicis orationis eadem est fere cum puro sermone ratio. Sed grata, modestaq; suauitas quædam in tota oratione æquabiliter *Hermog. lib. 2. ca. de simp.*

ſparſa, & veluti ſanguis in corpore, fuſa eſſe debet: quædam vero certis definitiſque locis interpoſita ad auditorum animos reficiendos, voluptateque ingenua deliniendos apte deſideratur.

Acrimonia, ſeu acuta oratio, eſt mordicans, & vellicans alijs moleſtum, iudicibus gratum dicendi genus, quod acuminis, & eruditionis dat auditoribus ſignificationem.

Idem cap. de æqual. & humil. *Moderatio vero, eſt moratæ orationis forma, qua ſe aliquantulum Orator ſummittit, & quaſi vnus ex populo loquitur: ex quo modeſtiæ, & humanitatis indicium & argumentum auditoribus præbet.*

De Veritate. Cap. VIII.



Vemadmodum ceteræ dicendi formæ, maxime aptæ ſunt Oratori ad rem quancunque propoſitam accommodate, congruenterque dicendam; ita veritatis hoc genus mirum in modum ei neceſſarium eſt ad perſuadendum. Nihil eſt enim quod magis auditorem aſſentire cogat, quam ita dicere, vt quod proferimus, id etiam nos vere ſentire videamur. Niſi autem veritas orationi ſubſit, ſimulata quaſi ſuſceptio, actioque inepta, & ridiculum quoddam exoriatur neceſſe eſt.

Hæc autem veritas ea non eſt, quæ rebus certis, & nũquam fallentibus continetur; ſed quæ modo aliquo moratæ dicendi formæ ſubiecta, orationem minime fictam, ex animo, & intimo ſenſu egredientem, auditoribus repræſentat; nec præbet in hac ſolum Orator morum, ſed affectionum etiam, atque perturbationum animi ſigni-

significationem, cui aduersatur rerum omnium vitiosa simulatio, quæ tollit iudicium veri, idque adulterat.

De graui oratione. Cap. IX.



Rauis oratio, quæ veritatis formæ commode subijci potest, est ea, quæ molestiam affert animo auditoris propter ea, quæ dicuntur: continet enim obiurgationem, & expostulationem; quoniam nostris meritis non respondetur, vel aliter, quam par est de nobis iudiciū fertur; ac postremo, quod amicorum nostrorum opinione fallimur.

Sed grauitas, interdum ex rerum natura, interdum propter decorum, personis, locis, & temporibus obseruatum, nonnunquam vero ob audientis modestiam, & auctoritatem obiurgantis æstimatur. Atque hæc breuiter ac vniuerse de sex orationis formis, vere ac proprie interse distinctis, dixisse sufficiant. Nunc septimum ac postremum genus explicandum est, quod aliorum generū tantum congruentem vsum ostendit.

De apta dicendi forma. Cap. X.



Ptum dicendi genus ceteras omnes moderatur orationis formas: præcipuam .n. vim habet dicendi quemadmodum deceat, estque veluti rectus, & aptus omnium dicendi generum vsus. Herm. lib. 2. de for. ora. cap. de grauit.

Quo fit, vt eloquens & aptus Orator dicatur is, qui potest ad id, quodcunque docebit accommodare orationem: qui vero, aut tempus quid postulet non videt, aut plura loquitur, aut se ostentat, aut eo- Cic. in orat. pagi. 325. Libr. 2. de orat. pagi. 172.b.

rum, quibus cum est, vel dignitatis, vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere, aut inconcinnus, aut multus est, is ineptus appellatur.

Hermog. *Hoc autem proprium ipsius Oratoris munus, non solum præstat augendis deprimendisque rebus, quibus nihil est, quod non perficere possit oratio: neque mouendis impellendisque auditorum animis, sed etiam, dum apte recteque vt caussæ, rerumque natura, & ratio temporis postulant, superioribus vtitur dicendi formis. Apte etiam tunc dicit Orator, cum grandia extenuat, obscura illustrat, & humilia extollit.*

Sed quoniam interdum verborum maiestate, vel tenuitate, nulla graui subiecta sententia, non vera, sed apparens, & simulata videtur grauis oratio; propterea huiuscemodi grauitas Sophistarum esse dicitur, qui floridam, & cultam orationem, multis verborum medicamentis oblitam, sine sententiarum momentis, & viribus orationis ad ostentationem sectuntur.

Ergo vera grauitas posita erit in omnibus dicendi generibus atque sententijs: in quibus non solum sciat Orator, sed etiam quid quaque in re tempori, locis, atq; personis consentaneum sit, præstare possit.

Quod, qui cogitatione cernit, & animo tenere ac præstare potest, is eloquens, hoc tam graui dignus nomine, omnibusque numeris perfectus Orator existimandus est. Sed hæc omnia apte congruenterque ad id quodcunque agatur animaduertere, ac efficere posse, non humanæ, sed diuinæ potius est facultatis. Nunc breuiter explicatis septem orationis formis ab Hermogene ad apte dicendum præceptis; ad tria congruenter idoneeque dicendi genera, à M. Tullio tradita, accedamus.

De tribus apte dicendi generibus. Cap. XI.



D omne igitur, quod quaque in re deceat apte congruenterque dicendum, tria posuit Cicero dicendi genera, Tenue, Graue, & Temperatum. In orat. pagi. 310. & 317.

Tenue, seu acutum, subtileque dicendi genus est, quod demissum est vsq; ad vsitatißimam puri sermonis consuetudinem: quod etsi non plurimi sanguinis est, habeat tamen succum aliquem oportet: vt etiam si illis maximis viribus careat, sit (vt ita dicam) integra valetudine. Ad Herē. lib. 4. pagi. 41. In orat. pagi. 318.

Temperatum, interiectum, intermediumque vberius est, aliquantoque robustius, quam illud attenuatum: summisius autem, quam illud de quo dicetur amplissimum. In orat. pagi. 320.

Amplum, copiosum, & vehemens dicendi genus est, quod ex sublimium constat sententiarum maiestate, & verborum grauium magna, & ornata constructione: in quo profecto vis Oratoris est maxima. Auctor ad Heren.

His omnibus formis, vt res exiget, prudens vtetur Orator. Nam, cum tria sint Oratoris munera, vt probet, vt delectet, vt flectat: subtile in probando, modicum in delectando, vehemens in flectendo, in quo vno vis omnis Oratoris posita est, adhibebit: efficietque vt acumen in docendo, lenitas in conciliando, grauitas in mouendo videatur. Quinct. li. 12. ca. 10. In orat. pagi. 317. Quinct.

In caussis etiam, aliud in aliјs genus, nec pro caussa modo, sed pro partibus caussæ desideratur: Quare sumissum in paruis causis, temperatum in modicis, vehemens in grauibus adhibendum erit. Eloquens enim censetur is, qui, & humilia subtiliter, & magna grauiter, In orat. pagi. 321. b.

& mediocria temperate potest dicere.

In orat. pagi. 317. b. Quinct.

Est autem quod deceat Oratori videndum, non in sententijs solum, sed etiam in verbis, semperque in omni parte orationis vt vitæ, quid deceat est considerandum, quod & in re, de qua agitur positum est, & in personis, & eorum, qui dicunt, & eorum, qui audiunt. Non enim omnis fortuna, non omnis honos, non omnis auctoritas, non omnis ætas, nec vero locus, aut tempus, aut auditor omnis eodem aut verborum genere tractandus est, aut sententiarum.

Ad Herē. lib. 4. pagi. 42.

Cauendum est autem, ne dum hæc genera consectamur, in finitima, & propinqua vitia veniamus. In graui figura fugienda est suffulta oratio, quæ turget & inflata est: In mediocri, fluctuans ac dissolutum: In attenuato aridum, exile, & exangue dicendi genus. In omnibusque rebus videndum est quatenus, etsi enim suus cuique modus est: tamen magis offendit nimium, quam parum.

In orat.

Magni igitur iudicij, summæ etiam facultatis esse debet moderator ille, & quasi temperator huius tripartitæ varietatis: nam, & iudicabit quid cuique opus sit, & poterit quocunque modo postulabit caussa, dicere. Sed est eloquentiæ sicut reliquarum rerum fundamentum, sapientia. Quando autem de omni verborum ornatu, ac sententiarum schematibus illustrandæ orationis, & denique de apte congruenterque dicendi ratione diximus. Sequitur deinceps, vt ad thesaurum inuentorum atque ad omnium partium Rhetoricæ custodem memoriam transeamus.

De

De Memoria. Cap. XII.



Rtificioſa memoria quæ pars oratoriæ facultatis exiſtimatur, duabus conſtat rebus, locis, & imaginibus. Loca ſunt, quæ breuiter, perfecte, inſignite, aut natura, aut manu ſunt abſoluta, vt facile memoria complecti poſsint. Imagines, ſunt formæ quædam, & notæ, & ſimulacra eius rei, quã meminiſſe volumus: Locis pro cera, & veluti charta, in qua ſcribitur: Simulacris pro literis & characteribus vtimur, quorum primo aſpectu facile memoria excitatur.

Ad Herẽ. lib.3.pagi. 33.b.

Libr. 2. de orat. pagi. 221.

Itaque ei, qui hanc ingenij partem exercet, ſi multa meminiſſe voluerit, loca multa animo & cogitatione ante capienda ſunt, vt in multis locis multæ imagines collocari poſsint. Oportet autem ex ordine hos locos habeat, ne quando perturbatione ordinis impediatur: propterea locis vtendum eſt multis, ſpacioſis, illuſtribus, varietate ſignatis, diſsimilibus forma, modiciſque explicatis interuallis: Imaginibus autem aliquid agentibus, acribus, atque inſignitis, quæ occurrere, celeriterque percutere animum poſsint. Sed quoniam rerum ſimiles imagines eſſe oportet, ex omnibus ſententijs ac verbis, notas nobis ſimilitudines eligere debemus, per quæ efficitur, vt earũ rerum, quarum imagines ſunt facile recordemur: vno enim ſimili cognito, atque perſpecto, facile in eius venimus cognitionem, cuius ſpeciem ac ſimilitudinem gerit.

Ibidem. Auctor ad Heren.

Libr. 2. de orat. Quinct. li. 11. ca. 2. Ad Herẽ. lib. 3. pagi. 34.

Quare, ſi quæ ſcripſimus, aut mente & cogitatione cõcepimus, huiuſcemodi picturis & imaginibus ordine cõmiſerimus, & ab eis ordine repetiuerimus, facile nobis occurret ſignis eorum notata memoria.

Quinct.

Verum,

Verum, ſicuti loci, ita & imagines ſunt omnino effingendæ animo diligenter, vt ſine cunctatione ac mora eas omnes cogitatio poßit percurrere; firmiſsima enim debet eſſe memoria, quæ aliam memoriam adiuuet. Eam autem facultatem maxime exercitatio dabit, ex qua cõſuetudo gignitur: maxima enim vna memoriæ ars, eſt exercitatio, & labor.

Libr. 2. de orat. Quinct.

Sed verborum memoria minus neceſſaria eſt Oratori: Etenim multa ſunt verba, quæ formari ſimilitudine nulla poſſunt: & ſingulorum verborum imagines memoriæ mandare cum inutilis, tum infinitus eſt labor.

Rerum memoria propria eſt Oratoris, eam ſingulis perſonis bene poſitis, notare poßumus, vt ſententias imaginibus ordinem locis comprehendamus. Quoniam vero de artificio memoriæ diximus, iam ad actionem extremam eloquentiæ partem pergamus.

De Pronunciatione. Cap. XIII.

Quinct. li. 11. ca. vlt.



Vemadmodum traditum eſt à veteribus artificium memoriæ, ita & pronunciationis, quoniam non omnes æque à natura idonei ſunt ad agendum, ab eiſdem præcepta quædam notari debuerunt, quibus, qui vti voluerit, adhibito, in primis frequenti vſu, & exercitatione, artem recte pronunciandi quandam comparare poterit.

In orat. pagi. 315. In Brut. pa. 276. b. Quinct.

Omnis itaque pronunciatio eſt diſtributa in duas partes, in vocem, & corporis motum; quorum alter oculos, altera aures mouet, per quos duos ſenſus interiores animi commotiones exprimit Orator, & omnis ad auditoris animum penetrat affectus.

Vocis

Vocis varij sunt soni, & flexiones: elatus, grauis, seu depressus, & medius: cuius mutationes tot debent esse, quot rerum, & animi affectionum: omnis enim animi motus suum quendam habet à natura vultum, & sonum, & gestum.

In orat. libro 3. de ora. pagin. 254.b

Itaque perfectus Orator, vtcumque se affectum videri, & animum audientis moueri volet, ita certum vocis admouebit sonum: & quidem ad actionis vsum, & laudem partē maximā sine dubio, ipsa vox obtinet: cuius bonitas primū est optanda, deinde, quæcunq; erit ea tuenda, & quod est in nobis, varie pro rebus & affectionibus animi tractanda: nihil est enim ad aures nostras, & ad actionis suauitatem vicissitudine, & varietate, & commutatione aptius. Ergo bonus Orator variabit & mutabit, omnesque sonorum tum intendens, tum remittens prosequetur gradus.

Corporis motus, diuiditur in gestum ac vultum. Gestus, est aptus membrorum ac partium motus, ac totius corporis moderatio, qui vocem, omnesque animi motus subsequi debet: nō hic verba exprimens scenicus, sed vniuersam rem ac sententiam significatione declarans, omnisque motus cum verbis, sententijsque consentiens: ac denique gestu sic vtendum, vt nihil omnino supersit.

Ad Herē. lib. 3.

Libr. 3. de orat.

In Brut.

In orat.

Vultus, est quidam habitus oris, qui prodit animi affectum, in quo sane sunt omnia, & secundum vocem vnus dominatur.

In vultu duo probantur, dignitas, & maiestas quædam atque venustas: vultuosum vero, & ineptum maxime improbantur. In eo autem ipso dominatus est omnis oculorum: animi est enim omnis actio, & imago animi vultus, indices oculi: quæ vna pars corporis, quot animi motus sunt, tot significationes, & commutationes potest efficere.

Libr. 3. de orat.

In Orat.

CONCLVSIO.


AEC sunt, quæ ijs quinque libris de natura Rhetorices, caussis, & partibus vniuerse ac generatim in presentia dixisse volui. Nec id quidem eo consilio, vt perfectam, atque exquisitam totius Oratoriæ artis doctrinam exprimerem; sed vt præcipuas, & communiores eius facultatis quæstiones in vnum collectas, Venetijs publice disceptandas proponerem, ad idque alios excitarem. Ceterum quo maior est perfectæ eloquentiæ, quæ ex omnium scientiarum, & artium cognitione efflorescit, præstantia, vis, & vtilitas; eo diligentius cum recta animi moderatione, viuendique ratione iungenda est: ne tam præclaro ac diuino præpotentis DEI bono, nobis ad hominum societatem tuendam concesso, peruerse abutamur: Sed ad hominum vtilitatem, Reip. salutem, æterniq; ac immortalis DEI laudem & gloriam conferamus.

F I N I S.

TYPOGRAPHVS. L.


Væ maiora nostrorum Impressorum incuria menda irrepserunt sic emendato.

pag. 7. lin. 20. corrige. discriminis. 32. 6. augentur. 36. 21. habeti. 44. 16. personæ. 45. 8. aduersarij. 45. 14. noua. 72. 30. decurtata. 80. 8. cõsummat. 80. 20. effœminatam.

Quæ alia leuiora reperies, prudenti tuo iudicio relinquuntur. Animaduertas autem, quoniam Ciceronis opera continuata sunt, nec capitibus aut contextibus, vt Arist. & Quinct. sunt distincta, auctorem, vt perplurimis valde vrgentibus gratificaretur, numeris eius Oratorios codices citatos signasse; vt illis inquirentibus sine mora atque labore locorum omnium facilis occurreret inuentio. Sicubi vero demptæ erunt paginæ, scias ex superioribus proximis locis signatis eiusdem Auctoris, & libri esse petendas. Est autem vsus Auctor libris Ciceronis castigatis, & emendatis à D. Lambino, & excussis Argentorati, forma 8. anno 1581.



